

21623

III | Mag. St. Dr. | P

kat. komp.

…us

… Princeps

Varsaviensis Collegii Scholar. Piar. Rex cordium

amor.

PANEG. et VITAE
Polon. Fol.
№ 1259.

REX
Cordium
AMOR,
Inter Imperatorum Augustissima, & Regum S
renissima Nomina, pompâ epithalamicâ

DEDUCTUS,

&

SERENISSIMO PRINCIPI

JACOBO,

SERENISSIMI

IOANNIS III.

Poloniarum Regis, Filio;

ac

SERENISSIMÆ PRINCIPI

HEDVIGI,

SERENISSIMI

PHILIPPI GVILIELM

Electoris Palatini Rheni, Filiæ,

in solenni suo Nuptiarum die

Per

Regium VLADISLAI IV. *Scholarum Piarum Varsauiense Collegium*
nomine suæ totius Provinciæ Polonæ

DEDICATVS.

Varsaviæ Typis Coll. Schol. Piarum Anno D. 16

R E G N A T,

&

in ſuperos jus habet ille Deos.

Ovidius.

21.623
III





Ad
SERENISSIMOS
NEOSPONSOS
Ode Epithalamica



GRandes avito lumine Principes
Trans Noricorum culmina monti
Hæmūq́ Thracē, Carpathum
Trās Thetidis vada Gaditana
Vt aſtra fulgent. Cedite Parrhaſes
Stellæ, minores cedite Phoſphori
Sol ipſe frontis luminoſæ
Conde jubar, rutiloſq́ crines.
Sat purpurati, ſat bene vertices
Pro ſole fulgent: clarius eſt jubar,
Quod enſis, aut ſceptrum in rebelles
Cimmeriæ regionis umbras
Vibrat: Sereni Rex vice ſideris
Amænat amplis regna favoribus;
Et quot locavit gratiarum,
Tot radijs ſua ſceptra cinxit.

Et

Et sic vel ipso sole vibrantior,
Splendet coronæ pulchra serenitas,
Cùm juncta virtus, ditiori
Ardet opum radiata censu.
Quodsi polorum Perseus *aureos*
Stat inter ignes; si radiat Leo;
Si Castor *&* Pollux *vetustis*
Sideribus, nova miscet astra:
Te promptiores suscipient poli;
Heres paterno Iupiter *æthere*
Cedet; Dijs par qui triumphas
Austriaco LEOPOLDE *cœlo.*
Regum IOANNES *maxime, quid nisi*
Tu Sol *voceris, tu patriæ decus?*
Quem scimus astrorum nepotes
Sideream genuisse prolem.
Sol *&* IOSEPHVS *major erit suâ*
Ætate Princeps, cui polus obsequens,
Cui verecundo subactæ
Mars Scythiæ famuletur astro.
Sol *atq; Princeps* CAROLE *siderum*
Dicêris orbi; luminibus tuis
Accensa tellus, te supremi
Astra penes Iovis elocabit.
Sol *tu vocaris, quem* Lusitania
Ex arcuato poplite suscipit,

Et

Et jurat in fasces, verendo
Imperij PETRE *nixa sceptro.*
Sed non minori Regius hic dies
Pompâ triumphat, quem thalamo frequens
Accendit ignis, splendideq́;
Purpureis Hymenæus astris
Fomentat ardens; & face Regiâ
Flammat retentum solstitio diem,
Cum sol ab astris nuptialem
Sarmaticæ *grave lumen* Aulæ
Miratus æstum, substitit æmulos
Aucturus ignes, ignibus ætheris.
Nec credit aspexisse tantos
Se parili radio nitores.
Sic ipsa vobis, sic propè sidera,
Sic esse cœli, sic famuli student!
Grandes NEOSPONSI; *ipsa vobis*
De thalamis orientur astra.
Non sic Eois pulchra cubilibus
Aurora surgit, cum roseo caput
Thoro levavit, ac rubentes
Nectareo lavat amne vultus;
Vt purpurarum sidere clarior,
Hymen trecentis pronubus ignibus,
Divos Laconum ignes Deorum,
Lucifero superabit ortu.

 Nu-

Numamq́, ſacro Numine cœlitem
Sanctosq́ Martis Romulei ducum
Manes, decoris effugabit
Sidereâ statione flammis.
Sol cum profundo qualiter enatat
Mari, minores obruit illico
Stellas; coruſcus ille ſolus
Ipſe ſuæ dominus diei.
Sic ominatis fatidicus vovet
Apollo metris; ſic NEOBVRGICA
Parens refulget, ut IACOBO
Sit ſimiles paritura ſoles.

VESTRO

SERENISSIMO NOMINI

devotiſſima
PROVINCIA POLONA
Scholarum Piarum.

PANEGYRICVS.

PRonuba dignissimæ fortunæ dies; augustis facibus serenatæ kalendæ; serenissimo sacrata Hymenæo feria, castissima etiam Musarum ferit, imò demulcet corda, ut montanis Parnassi latebris prodeant, & virginea sylvarum suarum sacraria deserentes, in medijs aulæ triumphantis choragijs, verecundo suo cœtu vobis ancillentur *SERENISSIMI NEOSPONSI.* Et si famulus quondam Apollo, pastoritiamq; mercedem apud Admetum, regem Thessalorum pactus, non erubuit inter armenta ejus bucolicos versus divino ore, rusticâ fistulâ, surdis tantùm nemoribus recitare; ut unius duntaxat principis gratiam sibi lucrifaceret: in quas atomos divinitatem suam non vellet dissipare? in quàm opacas nubes, sole coronatum caput non absconderet? ubi tot terrarum soles vestris splendoribus, jubar eius extinguitis, tot Impera-

torum & Regum dotales fortunas comportatis, tot pulcherrima, turpiter victarum gentium nomina, in compositionem thalami vestri aggeratis; ut grandioribus famæ tubis cantatum epithalamium vestrum, ille quoq; tenuîs saltem avenæ meditationibus adiuvaret. Adeoq; ipsæ hîc (*dum formarentur*) literæ, nuptiales myrtos illico poposcerunt, omnes laureatæ per suas paginas disponi voluerunt, omnes sertis capita & apices suos coronârũt: jãq;ab ipso statim exsultĩ ibant calamo, tot festivis choris, quot lineis stantes; semper tamen tacito passu serenissimi Hymenæi vestri nutibus occursant, & in pompa nuptiali, suo agmine latus fideliter stipant. Nec pudet illas nigri sui coloris inter laticlavia & trabeatas vestes, cùm intrinsecus earum habitus ámoenitate lætitiæ niteat; sinceroq; candore concolor diei genio, reluceat. Procul enimverò omnes hinc tetrici Dij! procul atræ dies! quibus infamis memoria vel à truci regnorum fato, vel à funeribus ingentiũ nominum, ignominia cum querelis. Quis illud Roma-

 næ

næ fortunæ Cannenſe crimẽ unà cũ ſuo die diris non devoveat? quis amet illam lucem, & diem abſq; ſole æternùm ignobilem, quo primùm Thyeſteæ epulæ ſuper ſacrilegam menſam ipſiq; naturæ violentam, comparuerunt? Lucem hodiernam undiq; beatam, non ſolus ex conventu concordi aſtrorum felix horoſcopus, facit, ſed terrarum etiam ſereniſſima lumina, ceu conſtellatione quadam, & concurſu magnorum nominum, fulgorem ejus geminant, & intendunt; ubi ſol ipſe hodie ſpargit

-- *diem meliore comâ, crinemq; repexi*
blandiùs elato ſurgunt temone jugales,
efflantes roſeum frænis ſpumantibus ignẽ. Claud.

Præfecta ſacris maritalibus Iuno, non dicitur ita fuiſſe læta, dum hoſpitem in Latio Æneam cum Lavinia copularet, aut poſtea altiùs evectis Romanorum rebus Liviam domum cum Auguſto fœderaret. Imo & ipſi Dij occultos tantùm ſibi dicuntur ſtraviſſe thalamos, ipsâ ſubinde georgicâ Nympharum amicitiâ contenti, nunquã ſolenniùs nupſerunt. Sed quid ego gramineos ruſticorum Numinum

num thoros? quid latibula vesani Iovis, & furta amoris, hodierno coæquem Hymenæo? Lemures illi, non aliter ac mures in quocunq; spelæo, & epithalamiũ, & genethliacon celebrârunt; promiscui rusticis Dij illi, jam satîs triumphatum credebant, postquam rudi Faunorum saltu exhilarati essent; & plerumq; pueros adhuc Deos, quernis viminibus contextæ domus aluerunt, donec ex caulis & mapalibus eductos fabulæ vulgi in cœlum transtulissent. Vestri connubij dies *SERENISSIMI NEOSPONSI* ritu regali sacer, rex & princeps dierum factus est, postquam tantis regum nominibus coronari meruit. Augusta hæc dies ab imperatoribus; paludata a regum purpuris; dies infulata a sacratis præsulum pileis; mitrata a ducum tiaris. Nihil non regium inter festos hodie plausus, ubi ipse amor rex esse inter reges cœpit, dum vulgares per totum orbem abjecit amicitias, & solos tantùm terrarum dominos socialibus primi in terra sanguinis adunat nexibus. Primus ex hac societate regum, pupillæ suam majestatem infert *SE-*

ſed humanus oculus, toti aliàs luſtrando orbi ſufficiens, illius vix capax eſſe poteſt, partim everberante viſum regaliũ armorum ſplendore, partim vetantibus virtutum radijs, nè in tantam lucem audaciùs ſeſe proijciat. Soli nempe, & *TIBI REX SERENISSIME* eadem natura eſt; ab omnibus videris, & nullus te, ſicuti es, videre poteſt; ad laudes tuas etiam in viſceribus cauſarum tuæ virtutis, omnes quærimus argumenta, & nullus ſatis idonea invenire poteſt. Sicq́; laſſare oratores, laudari tibi eſt, & ubi maximam aliquam in fontes rhetoricos (*ut hæſiſſe ſubinde cogerentur*) projeciſti molem, fortiùs ab obice ibant. Laudare te non meliùs, quàm per admirationem, eloquentia ſolet; elogiorum tuorum potiſſimum eſt, obſtupuiſſe ad virtutis magnitudinem.

Nunq tis la lus.

Nec ſolis duntaxat oratoribus mentẽ contemplatione facinorum regiorũ aufers,

Q ſaci rus.

fers, ſed ipſa ſibi jam ſterilis virorum natura prope non credit, potuiſſe ſe ſufficere ad tui generationem. Beata illa adhuc aurea ſæcula argillaceos ut plurimùm tulerunt homines, ferreis verò temporibus aureum proveniſſe principem miraculũ ſanè eſt, qui pretium ſimul & redemptor eſſet communis populorum ſalutis. *Habent tamen publica remedia cœli contra virus & peſtes fatorum vicatim graſſantes: & poſtquam ægreſcere regnorum fortunæ gravibus deliquijs cœperint, ex nunc qui corroborarent, dati.* Hercules contra infeſtam monſtroſis partubus Lernam adoleſcit, & infeſſæ a nocentibus belluis ut vacuarentur ſylvæ, paternum ei Iupiter cum ſanguine infudit robur. Aperuit Romæ voraginẽ terra: ſed ſtatim & Curtio tam grande cor excrevit, ut hiatum illum, & fauces voracis lethi obturaret, publicamq; lætitiam afflictæ Vrbi, virili ſuo ſaltu efficeret. Sed ſinguli hi, nè ſingula regni ſui diſcrimina ſuos tantùm contribularent contribules, nati; qui verò capitis ſui periculo etiam non civium ſalutem defenderent, non niſi ex nido phœnicis naſci-

turi.

turi. Briareum cum centum manibus ſi haberemus regem, tot inſultibus calamitatum reijciendis non ſufficeret, quot identidem domeſticam noſtram incurſãt pacem: tu verò magne dominator, non ſolam (*ut Pater illius*) pectori tuo appreſſiſti patriam, nè in ſinu tanto vellicaretur a fatis, ſed vicinas etiam protexiſti fortunas. O! felix Troja, ſi tu illi genitus fuiſſes Hector: certè nullum ex malignis oraculis ſibi immiſſum timuiſſet Achillẽ. Bonum eſt, quòd locò Curtij non fueris natus, quia tu certè voluiſſes illam abisſum te ipſo explere. Domi Scipio ſedisſet, & tu nomen Africani habuiſſes, ſi fuiſſetis coævi. Si in nomen & tempora Pempeij incidiſſes, viguiſſet hucusq; Romana libertas, & tyrannus Iulij mucro reliquias ejus non jugulâſſet in Catone. Orbem univerſum tenuiſſes, ſi cum Auguſto ſimul vixiſſes. Omnium horum in te videntur velle immigrare nomina, tacitam gratitudinem præſtant oratoribus, ſi quod ex illis tanto Imperatore dignum judicârunt, ſatîsq; habent, ſi illa per ſolam antonomaſiam in te tranſlata,

Nu par

acceptâſti. Quicunquè enim meliores, ſeu geniales creduntur fuiſſe Dij, ſuas in tuam indolem intulerunt dotes: principe digna virtus omnem theſaurū ſuum in tuo animo, ceu in proprio depoſuit ærario. Certare felicia aſtra circa tui formationem debuerunt, cui plus in tuā bonitatem influere liceret, & membratim planè videtur planetas te ſibi diviſiſſe; ut ſi civilis eſſe velis: Iupiter appareas; ſi bellicoſus: Martem eſſe credamus; ſi dulcem Mercurij ſermonem audire velimus: tuum --*quoties eſt os cœleſte ſolutum,*

hoc Superos jures, ore ſolere loqui. Ovid.

Reddidit antiquitati ſuā ægidem Pallas, & Scutum regale ſumpſit, ut pote tanti regis ſtemmate & quadam cognatione longè jactantior, quàm ſi natale ſibi Iovis caput reſpiceret. *Libentiùs enim coronantur literæ auro, quàm ſerto; meliùs habent in capitibus regum, quàm in paupere cerebro.* Adeo! non per vulgares Metaphyſicæ gradus natura tua eò celſitudinis aſcendiſſe videtur, ſicut ſimplex homo, ſatîs definitus dicitur, ſi ſit, animal & rationale: tibi inſuper cœleſte, divinum, incom-

comparabile, necdum inter homines natum; & ſi quæ alia prædicata erunt, quæ in vulgus non facilè dantur, tribuenda ſunt.

At ſi virtutum, & dotum tuarum (*quæ ſit in hoc animo princeps*) certamen videamus; nulla quidem primas vellet cedere, ſi tamen cedat, ceſſiſſe non pudet; ſicq́; vna alteram pulchrâ afficit iniuriâ. Martem nihilominùs tuum, mentis tuæ regiæ dominum eſſe apparet: inter omnes generoſiores Deos, ſeu meliores Planetas, qui in hanc animam colonias duxerunt, paterfamilias eſt. Felix enimverò reſpublica, cui ita cordatus princeps, vt (*ſi fortaſſis in pectus ejus reclinat caput*) palpitatione cordis eam non perturbet. *Beatitudo regnorum, fortitudo regum: dulcius otium, & quietem abſq́; metu celebrant populi, quando bellator princeps pro eis pervigilat.* Aliàs ſicut apes inermem habentes regẽ, unico fumo, ex mellea fugantur patria, & ſuavibus cellis heredes expelluntur hoſpitæ; ſic fumant Marte incendiario regna; miſſis ab hoſte in tecta ignibus territus avolat colonus; non ſine lachry-

Be
ſus.

mis fumigãtes jã in ſolis titionibus & fa villis ſpectantur ædes; ſi neſciat princeps hoſtili ſanguine graſſantes flammas ſopire. Dicat ingenuè Polonia, quoties alicujus Martis externi fragoribus perterrita eſt? ex quo te *magne Imperator*, propugnatorem meruit. Voluit quidem illa timere aliquoties irruentes Scytharũ nimbos, ſed timere non potuit, tuo pectore munita. Et quamvis ſubinde inſidioſo Marte furant, aut potiùs furantur ex provincijs populos, & viciniam carpant, vix tamen non ſemper ex faucibus belluarum extraxiſti prædam: optimum cuſtodem gregis imitatus, qui licet efficere non poſſit, nè unquam latrocinantes lupi invadant ovilia, deprehenſis tamen & captas oves, & vitam eripit.

iosus. Placet ea cõmemorare, quæ libuit ex tuis victorijs obtinere, ſi tamen (*quaſi neglecta eſſet*) commemorare eſt, memoriam facinorum tuorũ proſequi. Placeat & tibi, quemadmodum Iovi, ſuum ex Gigantibus triumphum, narrari non diſplicet. *o ad rno s ſu-* Delectat nos reflectere oculum ad *Komarnenſes*. aquas, ubi Mars tuus adeò hi-

la-

laris fuit pocillator, ut totum ſtagnum Scythis graſſatoribus, in illud coactis, propinaverit. Inaudita certè ex hauſtu aquæ ebrietas, ut multa millia Tartarorum uſq; ad amiſſionem rationis, id eſt animæ, potare coëgeris. Cecidêre ibi, vel cedere coacta ſunt duodecem millia Scytharum permixtis rebellibus Koſacis: emancipati vinculis viginti millia captivi. O! pater tantorum filiorũ, quos rurſus ad vitam & libertatẽ genuiſti; quàm fæcundus hic gloriæ partus! uno actu millia animarum vivere facere. Non erat opus reſuſcitare mortuos; hoc miraculum eſt, morituros non mori efficere. Paulatim hîc, imò vehementer citò illa barbarorum eluvies longè lateq; inundans Poloniam, intrà continentem ſuum modeſtiore refluxu, quàm ingruerat, regredi cœpit, poſtquàm martiali igne tuo bene ſe torreri ſenſit. Inextinguibilis hic erat vincendi ardor dum per ſpatium unius milliaris diffuſus Tyras eum ſedare in te non potuerit, ſed cum victore, & victuro adhuc exercitu mediâ ferme die natares per rapidiſſimum flumen, fugien-

Capt 2000 rat.

S pe nib æ.

N po tes mi

 en-

entes insequendo, & scitos fallendi Scythas pertinaciter premendo. Tutus erat hostis immani numero; at ostendisti illa tot millia nullitatibus constitisse, postquàm unus non remansit: non vivi, sed trucidati numerabantur: in catalogum Martis nec inspexit miles tuus, sed postea ex computo mortis rescitum est, viginti millia hostium te habuisse. Memoranda semper illo trophæo *Kałușa!* vireat æternùm illa sylva, cui *Bednarow* nomen! in qua hostis latebras invenit, sed fiduciam latendi non habuit. Hìc enim belli species, in venationem desierat, postquàm viginti millia *Krimensium* luporũ in retia sua Bellona tua cepit. Vlulavit tunc cladem suam barbaria, quòd adeo cruento fato in plagas tuas, feræ istæ inciderint. Ipsa verò fama hæsit, & priùs ense tuo factos acervos cadaverum numeravit, nè videretur hyperbolen orbi narrare, si eo numero prostratos a te Scythas evulgâsset, quo eos nullus hactenus afflixerat. Sicq; huic Deæ primâ vice creditum est, postquàm fidem verbis a tuo nomine invenit. Quæ verò hîc castren-

tio ad
[illegible]a 20.
cytha-
profli-

ſtrenſia jejunia? quàm magnum pervigilium ad ſolennitatem gloriæ tuæ egiſti? crudum olus, quod ſolùm illâ die comederas, teſtatum nobis. O! quis erat iſte guſtus, ſervare cives, ut fames neſciretur; propriam oblıviſci alere vitam, ut cæteri viverent. Quis iſte neglectus ſui, pro omnibus ſe unum objeciſſe in diſcrimen? imbribus madere, pulveribus obſitum eſſe, vada equo traijcere. Noveras ſcilicet bene, quòd pulvis pigmentarius mollia aut feminarum aut effeminatorũ caſtra deceat, Martius verò, quò magis ora virorum oblinivit, eò formoſiores reddidit. Farta oloribus tomenta Heliogabalos delectant, gramineum cubile, & ceſpes, virum.

Gradum hîc primum tuæ poſueras gloriæ altiùs aſcenſuræ. Vlturus enim tantam cicatricem ignominiæ hoſtis, rurſus collecto robore, erectâ cervice protervus, ſed mox demiſſiùs pudore dejecturus ſupercilium, ibat. *Arenam enim, jam victis ſemel, repetere, idem prorſus eſt, quod iterum vinci quærere.* Sic taurus ab æmulo ſuo victus, & ab armento fuga-

 tus,

tus, poſtquàm denuo ei fractæ vires redierunt, & toroſo fortior collo evaſit, & cornu melior, & pede firmior ſtetit, iterum victorem ſuum aggreditur, ut funeſtiùs profligetur. Sic hyematurus Turci-

tò ad n 40. rearū r de- æ exercitus ad *Chocim* vallo ſeſe incluſerat, ut primo ſtatim vere, neſcio quas in campis Polonis violas quæſiviſſet, floremq; gentis & gloriæ noſtræ decerpſiſſet. O! quanta hîc lapſura moles in caput reipublicæ pependerat, niſi tu impetum retudiſſes, & arietem tam violenti fati tuo excepiſſes pectore. Nihil minùs quàm vinci hoſtis expectabat, & fortitudine & fortificatione tutiſſimus. Verùm *etiam per ſalebras regia eſt virtuti via ad coronam:* nec per declive in cœlum ad divos Iulios & Auguſtos itur. Non profuit hoſti munitis hæſiſſe locis, ſpes irrita valli, & revulſis aggerum repagulis itum eſt ad gloriæ & victoriæ ſacrarium. Aliàs, *primus tubæ clangor fortiſſimis etiam ducibus quaſſat animos; in initio pugnæ ſtrenuiſſimi quoq; herois colliſa timore genua titubârunt, & vibrante ictum formidine audaciſſimum cor trepidavit in exordijs pugnæ.* Tibi

nun-

nunquam difficiles, nedū tremendæ fatorum ambages; ſemper largiſſimus animæ & ſanguinis fuiſti, ſi ab aliqua mortali manu libari poſſet. Non habes chalybeam Achillis cutem, & tamen invulnerabilis es; pectus tuum murus Spartanus eſt. Vidimus te etiam hîc quaſi perire voluiſſe, ſed non erat vir qui ad tam excelſum pertingeret caput. Non ſegniùs quàm Deus ille Macedonū Alexander, omnia involâſti pericula, & tamen ſæpiùs humanus ſanguis ex inflictis vulneribus, Numen illud fœdavit, te ſemper inter caſus & cadentes ſtante. Monſtravit *Chocimenſis* alea, quomodo hunc belli lu- *Vallo ſum*
dum ſciveris evincere, ubi quò magis tu *excl*
perdebas, ampliùs lucrabamur. Duplex erat prælium ab uno exercitu tuo ſuperandum; & valla diruenda ſiſtebant impetum, & hoſtis ſepto terreo abſconditus, aut in campū eliciendus, aut caſtris ſuis eijciendus. At, *nihil ei clauſum, cui mors pro patria, in aperto, & in complexu gloriæ exſpirare deſiderat*. Impegiſti igitur primas caſtrorum vires ad illum aggerē, non minùs viro atq; ceſpite fundatum

resistere: at verò perfracta latera munimenti, inundata repente Turcarum castra non magis heròé tuo, quàm eorum cruore. Confusis ita agminibus, turbatâ acie, disjectis viris, in reliquijs barbarorum furor & desperatio, arma manusq; ministrabant. Sicut evenit ferissimo in extremis periculis urso, qui postquàm a canibus undiq; & latratu & morsu petitur, jamq; sub corde frigus ferri & mortis sentit, per ipsum venabulum hostem quærit, quia habet. *Abruptissima enim est constantia pereundi, dum exigit perire necessitas. Acerrima est virtus exstimulata; quæ dum nihil sperare potest, desperat nihil.* Et animi calamitate inundati, & foci cum reside scintilla aquis perfusi, bulliunt maximè, irasciq; videntur, dum extingui debent. Nempe *si in præcipiti collocata sit virtus, & manuteneri a desperatione cœpit, nescit nisi ad extrema saltare; aut contingit feliciter audere salvæ; aut cum ipsa rabie fati colluctando, finem pressuræ supremo agone invenit.* Generosa semper est desperatio, & audacissimus timor, quando incipit ad defensionem respicere. Sic plerumq;

Qui fru- resumit es.

in-

induit infelix arma coacta dolor. Ovid.

Non diu tamen obluctata est illa gloria, a te captivari: vix in viscera castrorum penetravit miles, illico & cor rapuit hosti. Omne jam præsidium in pedibus, postquàm manus defecerunt, omnis in fuga salus, si hæc quoq; pateret, at fugientium cervicibus radiabant impositi enses, ut vel fixi in telis hærerent, vel præcipites in rapidissimū Tyram prosilirent. Veteri illâ Romanorum pœnâ damnare videbaris Turcas, dum omnes ex saxo præcipitari fecisti. At verò quàm pulcher erat in oculis nostris Martis tui cum Turcica Bellona saltus! quàm celerem cum ea choream exercuit; ut fluvios etiam transilire debuerit. Quantùm hîc sudatum est pro gloria! flumine ut toto Tyræ, ignes Martis refrigerari debuerit. O! quanta hæc victoria fuit, ut quadraginta millia coronarum simul merueris. O! quanta tunc in ipso Tyræ gurgite murmura aquarum, quæ raucas tibi gratulationes fundebant. Muti ipsi pisces triumphorum participes tuorum; læta convivia in adipe Turcarum celebrârūt.

Nam ter c… & in… deme…

Obſtructus tamen cadaveribus Tyras, non nihil iratus videbatur, quòd ei liberum impediveris cursũ, ſpumabatq́; turbidiùs: ſed communes illæ, cum tuis erant, contra paganos iræ, quos cùm tu ſangnine & animâ evacuabas, ille, nè ultima quidẽ ſupereſſet gutta, exſuxit lambentibus undis.

Iamq́; victoriæ lauri, jam ſerta defecerant triumphalia, congeſtis omnibus ſuper tuum verticem adoreis: unum adhuc reſtabat diadema regium. Exempto namq́; è vivis *MICHAELE* multi ex Dijs terræ huic ſceptro manum porrigebant, ſed te Martem ſuum Poloni coronant; aut (*ut veriùs dicam*) tu te ipſo Poloniã, & vota ejus coronâſti. Nõ enim voluiſti coronam ſuper caput habere, priùsquàm agonali planè ſtadio pro ſalute patriæ contendiſſes. Ad metam hujus gloriæ decurrendam æmulum rurſus Imperatorẽ Turciæ habuiſti, qui ſimul octoginta millia equorum Scythicorum, triginta Turcicorum conſcenderat, ut effuſiore curſu in necem noſtram perrexiſſet. Rapuiſti tanto furori

ha-

habenas, coëgeſti ad *Zorawnenſes* terminos ſuperbiam hærere. Nubes quàm dẽſo perſtillat imbre, tantâ barbarorũ tempeſtas ingruerat: ſed ex nube planè Ixionis uxore geniti Hippocentauri iſti, invenerunt etiam ad *Zorawno* Herculẽ. Examina apum, muſcarum exercitus, nõ ita denſis agminibus moleſtant obvios, quemadmodum volatiles Scytharũ turmæ omnia undiquaq; populabantur. Domitianus tamen hîc nihil ſciviſſet, quia ipſi in leones ſinguli evaſiſſent, qui coram te in muſcas degenerârunt. Aggerem non alium, quàm ex viris oppoſuiſti barbaris, quem non ſolùm, non poterãt, ſed neq; tentaverunt perrumpere, memores ſanè Phryges nuperrimæ ad *Chocim* plagæ. Videbamus hîc novam arte tuâ ad *Zorawno* ſtetiſſe *Spartam*, pectoribus virorum fortem; lateribus (*licet non coctis*) & tamen ceu muro defenſam patriam. Objeciſti quindecem millia virorum pluſquàm centum millibus hoſtiũ; objeciſti te unum, omnibus; & quamvis ſtructâ acie conflictum obtuliſſes, tamẽ non auſa erat illa diluvies populi ad ſco-

pulum virtutis Polonæ allidere, quia retuſa ſparſim reſilijſſet. Et verò diſpunxiſti illam caliginem temporum, amæniùſq; riſit communis populorum lætitia: quemadmodum ſi a nubilis humidus repurgetur dies, ſerenatoq; àére jucundiùs vivitur, ſic tua effecit virtus, quia hucuſq; nobis - - - *gratior it dies,*
& ſoles meliùs nitent. *Horat.*

Iſta erat prima voluptas tua, toto biennio amarores fortunæ, & plenos abſinthio calices de manu iratæ nobis Deæ pro ſalute publica exhaurire. Adeò magnus erat galeæ militaris amor, in capite hoc fuiſſe, ut totis duobus annis de eo cum corona contenderit. Toto biennio neſciebamus, an Regem te, an militem haberemus? quòd non potuiſſes dediſcere ducem, imò neq; rex eſſe velle, ſi non & miles. Habuitq; inde documentum Polonia, quòd non ſolùm caput tuum ad coronam, ſed etiam cor tuum ad ſui amorem elegerit. Et certè tam capite, quàm corde, rex es, & tamen ex utroq; hoc capite optimus; dum & ſuaviter imperas, & ſapienter gubernas. Amor in

pa-

patriam, prudentia in dirigendis civibus alijs diu & difficulter ars ediſcenda eſt, tibi natura; ut meritò gloriari poſſis: *mecum nata eſt ſapientia*. Etenim *tam prudens non ſincerè, malè ſe dolis plerumq; ſuis involvit quàm ſimpliciter candidus, non bene totum ſe ſimul explicuit*. Callere, non callidè; poſſe, abſq; viribus, hæc Principum, hæc tua regula eſt. Valere ad nocendum, etiam urſi, non tantùm principes poſſunt, facile vires ſuas experiri adverſus gentes, Iupiter ſolet, ſed quæ ejus inde gloria, ſi mactet, & armatam ſemper ex nube manum fulminibus excutiat? *Fortem eſſe in debiles, audacem in timentes, in ſubjectos ferocire, puſilli cordis eſt documentum*. Gregatim tumultuantur in animis plerorumq; iſti manes, tu nunquam inquilinos ejuſmodi pectoris regij admiſiſti, ſed omnes virtutes, planè penates Deas cordis tui & collegas imperij feciſti; ut nunquam abſq; ſincero hoc ſenatu, & internam tuæ conſcientiæ rempublicam, & externum regimen obiveris. Illa ſevera tua clementia, & clementiſſima ſeveritas, quàm amabili diſcordiâ, & concor- *Clem ſimus.*

 di

di antitheto omnium captant animos! Quamvis enim paſſim Salomon horum ſæculorum habeare, non circumdediſti tamen leonibus thronum, qui a tuo conſpectu fugarent. Aram bonitatis tuæ & ſemper, & omnibus, acceſſibilem aperuiſti; quamvis ipſorum Deorum templa ſubinde clauſa ſupplicaturis videamus. Legum vindicem quoties gerere debes, ſemper in humaniorē propendes partē,

& ſontes expulsâ corrigis irâ; Claud.

adeò ut ſanctæ eſſe adversùs eos videantur iræ tuæ. Ita acerbitatem legîs dulces tui mores attemperant, & a bonitate Principis ipſa etiam manſveſcunt jura, ut neq; lictor terribilis appareat, ex miti ejus genio puniturus. Nunquam doluiſti cum Nerone: quòd literas didiceris, quia tua manus hucuſq; dicitur illas tantùm ignoràſſe literas, quæ alicui mortē, imò vitam exprimerent. At ſi qui tibi oblatus eſſet, eum legibus tradidiſti; & ſi perijt, non tu ſuſtuliſti, ſed qui leges condiderunt. Infelix Tiberius vapulat hucuſq; per faſtos ab hiſtoricis, quòd plures mandato crudeli mactavit, quàm lictore,

im ho m ad em ſe i da nt.

re,

re, & iratas voces pro gladijs in vulgus mittebat, quibus perempti pleriq; civiũ, ipsi sibi vitam, vel hausto veneno, vel laxatis nervis, vel præcipiti in ferrum procubitu, abstulerunt. *Non reges, sed reguli sunt, qui torvo everberant, & occidunt oculo.* Feræ Indorum gentes ita virulentos meruerunt principes, qui non sentẽtiâ, & decreto nocentes damnant, sed sputo solo enecant. Tu ipso tantùm metuendus amore, quia vicissim ipse times, nè timeare. Vnde saltem vultum tuum intueri, *Statius.*

- iucundus metus est, & non secura voluptas.

Qui enim tecum audent loqui, magnitudinem ignorant tuam; qui non audent, ignorant tuam clementiam. Et licet *omne corpus consecratur virtute, si fuerit virtuti sacrum;* non frustra tamen doctissimi viri dicunt: *naturam ipsam domicilia corporum digna metari, & ex vultu hominum, ac decore membrorum colligi posse, quantus illuc cœlestis spiritus intrârit habitator.* Regia membrorum tuorum constructio, basilicum est mentis imperatricis templũ; tu ipse totus grande, regi animo tuo, dedi-

Fac dig per

catum auguſtale. Reſpici a te, eſt quodã imperatorio ſole obſcuriores privatorũ illuſtrari fortunas, adeò ut in corpore hoc ex claſſe ſummorum ſpirituum, tuũ principem eſſe, neceſſe ſit; illumq́, qui olim minores prætergreſſus ſtellas inter beatos Numas Romuloſq́; & cætera auguſta ſidera ſit ſeſſurus. Verùm

tardum ſereni partibus ætheris
te ſidus addes -- Sarbiev.

quem vota & publica tenebunt deſideria. Imò tunc etiam tuorum non deſines rex eſſe Polonorum, cum polorum dominium ſuſceperis, & inter conſanguinea ingreſſus Numina non obliviſceris ſubjecti tibi populi. Eadem nobis de tuo amore fiducia, quam habuit de ſuo Imperatore Pòéta:

- - - *te* (cùm ſtatione peractâ
aſtra petes ſerus) *prælati regia cæli*
excipiet, gaudente polo. - --
-- -- -- *tibi Numine ab omni*
cedetur, juriq; tuo natura relinquet,
quis Deus eſſe velis, - - - -
ſed neq; in Arctoo ſedem tibi legeris orbe,
nec polus adverſi calidus quà vergitur Auſtri,

unde

unde tuam videas obliquo ſidere Romam:
- - - pars ætheris illa ſereni
tota vacet, nullæq; obſtent à Cæſare nubes. Luc.

Quamvis enim ætas jam tibi devexa, ſed necdum præceps eſt, quia vegetiſſimum tuum boni publici ſtudiũ, & hucuſq; non exarmata ſenectus te in Neſtoris Poloni annos perventurum ſpondet. Aliter enim moriuntur princeps quàm vulgus, neq; illud tot animas, quot ipſi habent: duplex eſt principibus vita: phyſicam in manus fatorum cum communitate reſignant; politicâ, æternùm perennant. Imò etiam anima eſt quiſq; princeps ſuæ reipublicæ, illa verò corpus; in membris tam magni corporis impoſſibile eſt ſimul omnem emori. Pridem hujus reipublicæ corpus moreretur, niſi tuo animaretur ſpiritu: tantis bellorum æſtibus, plus quàm malignis colliſum febribus, ægrotaret periculosè, niſi tuo vigoraretur animo. Incidiſti in hæc tempora, ubi defendendam magis, quàm regẽdam ſuſcepiſti patriam. Bellis jam plus quàm à medio tribulatur ſæculo, & poſt reges, tandem te Martem regemq; ei o- *Qui per ſor ill*

portuit præfuiſſe. Ita actum eſt, quemadmodum, *dum molles auræ, & boni ventorum ſpiritus carbaſa juvant, cuivis ad clavum ſedere licet, ſed poſtquàm turbulentus Auſter & valida tempeſtas latus utrumq; navigij pulſat, ipſius navarchi artem malum generale provocat, & ſeſe inſufficientem quiſq; tunc recognoſcit.* Incidiſti in rerum caliginem, ſicut ſol in opacum nubium, ut ſerenares; dum vellet hoc cælum corruere, Atlantem te invenimus. Non ſibi nihilominùs, nec tibi ſolùm te educavit Polonia, ſicut Roma Iulium Cæſarem, ſed toti *qui genitum ſe credidit orbi.* Vindiciæ illæ, quas tuliſti obſeſſæ Viennæ, quem non admoneant virtutis tuæ? Etenim obſidem ſe fatorũ & ſalutis noſtræ, quis illi tam atroci poſuiſſet Marti? niſi tu ſponſor & evictor noſter fidem nobis tuâ datâ dexterâ feciſſes apud ſuperos, diutiùs vivere nobis non indulſiſſent. Anima tua, vadimonium noſtrum erat; in litrum vitæ noſtræ, ſudores tuos & gẽmas frontis dediſti, præter aurum. Quærant ſimile in faſtis Gabinis Romani, quem vicinorum ſuorũ tutati ſunt? Camil-

r eti-
bera-
nnæ,
us jã
cre-

mil-

milli nomen Gallis fatale, Scipiones Africæ demolitores, Druſi Germaniæ ſuperbi triumphatores, in memorationibus hiſtoricis glorioſiſſimi habentur; at omnes iſti rapinam ex orbe bellis lacerato egerunt; tu ſalutem amicorum æquò ut tuam defendiſti. Ferales ipſæ ſcripturæ, qui ex Auſtria Turcis infarta veniebant, tantùm formidinis ſpargebant, ut generoſiſſimũ aliàs concuſſiſſent pectus: regis tamen noſtri Herculea virtus in conſpectum Gigantis illius ſeſe comparabat. Scriptus, lectus, eductus in hoſtẽ eâ celeritate miles ſuppetialis, quæ etiã hoſtis fidem, tandem & perfidiam ſuperaret. Difficiliùs erat Cadmo viridem ſuam militiam ſerere, & adhuc in herba ex agris unius novalis colligere, quàm tibi ex adeo latepatenti Polonia jam florẽtes ære cateruas convocare, & tamen ceu illos ſeminaviſſes, numeroſos heroum collegiſti manipulos. Compendia itinerum, & abbreviatas ad illa pericula vias, elegiſti, quas ſibi audaciſſimus quiſq; prolongari deſideraret. Non ſenſiſti infuſam tergo pluviam, & liquentes

Triſtes ea captu nuncios bet.

Prope auxili

per ora nimbos; torridiſſimo aſtrorum cane præ ſiti lambente ſudorem ex frõtibus militiæ, tolerâſti. Sicut leo quem a longè venatoria commonuit tuba, obſeſſos eſſe à turba moloſſorum in antro catulos, feſtinat periculorum incurius, ignarus quæ in regalem jubam ludibria & ſibilos venti exerceant, dummodò filijs a denſo venatore cinctis ferat ſubſidium, & cubile illud regalis ſuæ gentis à fugato hoſte eliberet. Adventus ipſe tuus prima ſtrages ex conſternatione tui nominis erat in barbaris. Necdum manus conſeruerat hoſtis, & jam victas dabat: nomen ipſum prima obivit prælia, vicitq; ante tubam. Quâ autem glacie non credemus, hoſtium eriguiſſe corda, ab aſpectu tui tremefacta, dum frigida bello dextera ferrum detinere non potuit? Ipsâ caſſide major viſus eſt vertex tuus pavidis, & plumæ regalîs galeæ humiliùs in oculis timentium fluctuabant, quòd nihil ſupra tuum caput altius credidiſſent. Vnicus Hector ad Trojam depræliantibus Græcis

adve̅- priùs redit, per- ſcit.

- innumeri militis inſtar erat; *Ovid.*

Tu

Tu quoq; unicus ad Viennam in conceptu Turcico, tu (*inquam*) unus, exercitus eras, tu multitudo, in te uno, omnes timebantur. Et alibi &

--- *illic, plus nominis horror,*
quàm tuus ensis agit. Ovid.

Paucis quidem ibi vita cecidit, sed animi omnibus. Nempe voluisti nuncios cladis superesse, qui etiam nepotibus suis narrarent, non esse tutum mortales vires, adversus robur tuum obniti. *Cedere, vel cecidisse hostem, parum interest; dummodo non resurgat.* Cornua superbiæ decussisse satìs erat, quãvis adhuc caput asportaverit sauciatum. *Æquali impetu sicut & Iupiter percutis, qui utrum statim in cinerem fulgure dejecto nocentes solvat, vel tantum decerpat in capite crinem, non multum refert, dum non ampliùs resurgit ictus.* Hasta tua, non dispar Achillis, quâ idē est summam cutem abradere, & supremum tantùm libare sanguinem, quia à neutro vulnere, confossus vivet. Non ampliùs, non ampliùs, fulmineis viribus tuis elisa potentia barbarorum hactenus elevavit caput: non audent ampliùs ad Vict & libe Vienn

ignominiam ſuam reſpicere, poſtquàm ſemel plagis tuis tergum dedêre victi. Veniſſet huc quæſo liberator Hercules, & certè fateri debuiſſet: quia non idem erat quod Caledone ſuem infeſtum expellere; non idem quod æripedem cervam Erimantho effugare. Caſtra hæc, monſtrorum erant, immanis aprorum exercitus, fera acies leonũ, contra quos ſola divina planè *IOANNIS* noſtri clava invaleſcere potuerat. *Date nobis Thebæ, date nobis antiqua ſæcula unum IOANNEM, dabimus vobis tot Hercules, quot venatores, pro compeſcendis belluis, ſed pro frænandis bellis, unus eſt iſte monſtrorum domitor.* Ipſe te hîc o! magne Imperator mirari deberes, ſi poſſes; imò & poſſes, ſi deberes: ut pote, cui nihil ſupra vires, & ordinẽ fortunæ. More Dei inter homines agis, apud quem naturale eſt, quidquid apud nos vulgus, miraculum. Et æquè mortuos ſuſcitare, atq; necdum viventes animare, æquale eſt facinus divinum; apud nos tamen, hoc naturale, illud videtur admirandum. Omnes nimirum actiones tuæ, & divina in eis prudentia, inter hu-

ma-

manas pugilum illorum (*quos adoravit antiquitas*) ſine injuria ſcribi non poſſunt; ut neque Plinius audax vellet eſſe in tuas panegyres, cui majus faceſſeres negotium, quàm Traianus ſuis laudibus. Non invenitur enim orator, cui ſuum de te occurrat argumentum, imò nec ampliùs Ariſtotelis *topica*, ceu rationum promptuaria, ſed bellica tua topiaria, & caſtrenſe tabernaculum reſpicit, unde omnis dicendi nervus. Gladij tui, ſunt ſtylus noſter, lanceæ ſunt acumina, arma tua, ſunt rationes noſtræ. Muſæ ipſæ Amazones apud te agunt, dum caſtris tuis perpetuò militant; prælijs tuis celebrandis aſſveti rhetores, nihil, niſi victorias tuas recitando, in milites evaſerunt; nihil niſi bellare in ſuis encomijs ſciunt; quidquid dicunt, pugnant; quidquid audent, trophæa erigunt; nihil non tuum agunt. *Victima* (ſcilicet) *Iovi nulla non ejus datur, & ſi ei per Ganymedem propinemus ambroſiam, hanc ille prior nobis dedit: ſi optimâ cervice, & cornibus deauratis in templum ducamus holocauſta, ejus ſunt.* Ad tuæ gloriæ aram, tu magnus honoris tui

 pon-

pontifex ipſemet immolaviſti ſine numero victimas, dum pro hoſtijs, cadebat nomini tuo in ſacrificium, hoſtis: adeò ut nos minores ſacrificuli, alias non inveniamus oblationes, præter illas, quæ pridem æterno tuo conſecrâſti nomini.

Officioſa nihilominùs orbis totius lætitia univerſali quodam ſenatuſconſulto tuæ virtuti triumphos decernebat; nihil augendo, ſed nihil non agendo, quomodò te ſuper aſtra tolleret, qui jam infra tartara conculcandos eripuiſti tyrannidi. Mundus totus à te defenſus, & panegyris tua, & panegyriſtes erat: Chriſtianitatem propugnatam, elogium tibi fuiſſe, & dediſſe oportuerat. Sed comprimis *Vienna* arctiſſimâ illâ obſidione cincta, jam planè ruptis lateribus eliſam agebat animam, & tandem tuo ſoluta robore, novo attracto ſpiritu, o! quanto tibi non acclamavit celeuſmate? Deſpectus hîc ab illa fuit Alexander; quòd contra unũ funiculum à *Gordio* ligatum, totius humeri vires exeruerit, vbi tu difficiliori hoc nodo Vrbem adſtrictam reſolviſti, Si denſa agmina pulſatas machinis bar-

tus ta- eſt to. undus.

iſſima a ipſa

ba-

barorum ſervabant civitatis portas; jam apertâ urbe confertiore excurſu victoris ſtipabant ingreſſum, pendentes a vultu ejus in plateis, ſuſpenſi in templis. Beatus credebatur, cui fimbriam veſtimenti tui licuiſſet attingere: loquentes tecum, invidiam merebantur. Et ſicut olim *Roma* ab Eutropij obſidione per Stiliconem liberata, ſic *Vienna*:

- - manum victricem amplexa moratur,
Atq; ita, vix lachrymans, inter ſuſpiria fatur:

Quod autem genus extemporaneæ illius euchariſtiæ eſſet, ſoli notum erat oratori cordi, & oculis per lachrymas loquentibus. Duo tantùm hæc glorioſa epitheta tua totus orbis intellexit, nempe *Salvator*, & *Redemptor*.

Sanctam inſuper *Romam* ad quandam officioſam ſuperſtitionẽ vetereſq; ritus virtute tuâ redire feciſti; quæ licet pridẽ omnes ſtatuas *Iovis* defenſoris, *Martis* bellatoris, *Victoriæ*, *Fortunæ*, aliorumq; Numinum, ſit demolita, rurſus tamen in ijſdem te adoravit ſimulacris. Ipſe ſanctiſſimæ memoriæ *INNOCENTIVS XI.* primis de proruta

Gr ma.

 bar-

barbaria ad Viennam rumoribus ſubſiliiſſe de throno ſuo, & ſucclamàſſe *Mediolanâ* dialecto narratur: *e viva mio GIOVANNONE!* Invenit tibi in corde tam boni Pontificis lætitia nomen, quod & ſvavem affectum Patris exprομeret, & magnitudinem tuam exprimeret. Iã tibi, laureata ab eo, ſtetiſſent marmora; niſi ille ipſe fatis everſus eſſet: jam in porticu Apoſtolica SS. Petri & Pauli æmulum ſaxum ſtatuæ Conſtantini magni ſituandum erat; ut duo magni fidei protectores pro Apoſtolica Eccleſia excubaretis. Tot à Conſtantino intervixerunt Imperatores, tanti per orbẽ dominati Reges, & tamen nullus ei in ſocium præter te aſſignari meruit.

Pergat *Venetias* vellem, qui (*ſi tamen vivere talis credetur*) vel neſcit laudes tuas, vel magis ſcire deſiderat: Aures noſtræ, communes per populum, excipiebant voces: *aut nos fuiſſemus impalati, aut Turcæ facti, ſi non gratia IOANNIS* III·Poloniarũ Regis, *ſalvâſſet periclitantes.* Adriaticus ille populus, nec nativo ſuo credebat *Neptuno*, ſi tuo Marte non fuiſſet

iſſet tutior, fuiſſet novum prodigium, & quæſtio: *quid eſt tibi mare? quod fugiſti;* ſi non tu ſecurum littus, & portus ſalutis.

Bononiæ verò licet non quæramus inter homines gloriam tuam, ſatis erit, muros accedere, qui ad portas Vrbis iſtius tuis conſcripti elogijs ſpectantur. Nec dedecori eſt, quòd plebeia etiam vulgi illius ſvada te celebret, muniat tuo nomine portas, & ipſis pueris liceat eſſe tuos laudatores. At in ipſis quoq; Academiæ Bononienſis propylæis victorioſum nominis tui monumentum cernitur manu & affectu *Reſidentis* tui *Caroli Matheſilani* poſitum. Eadem pietate & propenſione molitur inſuper equeſtrem ſtatuã erigere, quæ militarem famam tuam æternùm portet. *Grata ...nonia.*

Inter cæteras verò adoreas, potiſſima eſt laurus, quam thaumaturgum illud *Lauretum VIRGINIS Sanctiſſimæ* honoribus amænum, tuo etiam capiti textam conſecravit. Loquitur in æde ſacra lapis ex muro tuam laudem, & quaſi indigitat vexillum *Vezyro* ereptum, & *MARIÆ* per te donatum. Paries ille *Grati... retũ... æde... retan... mor ... tinen... gis victo...*

disertus orator est; sic ad fores domunculæ direxit scripta in se verba, quasi quotidie narraret *B. M. Virgini* quanta pro ejus Filio non egeris. Humiliùs ibi docuisti *Lunam Turcicam* ambulare, quæ cœlo jam prorsus irrepserat, nunc sub plantis *Mariæ* per terram volutatur. Ostendisti longas regibus esse manus, postquàm è nubibus ipsis nidum superbiæ detraxisti, & pedi Virgineo calcandam subjecisti. Sic totus orbis tibi est lingva factus, loquitur in ære, narrat in marmore, percenset in fastis tua facinora; quia tu vicissim communem omniū fecisti te panopliam, dum universorum salutem te ipso toto clypeâsti.

Non anhelat tamen *virtus, quamvis durissimo fatigata clivo, cui nihil gloriæ ex plano venit. Per abrupta & confragosa saltus est ad laureas. Aut in præceps eundum est, ut contingat stetisse altiùs; aut per arduum, nè in humili. Non sufficit meruisse, sed mereri; nec egisse, sed agere.* Non quievit ad Viennenses laureas amor tuus gloriæ; post expurgatā hoste ejecto Hungariam, post Strigonium ereptum ex manibus barbarorū,

nofter quitur

onium & i- Tur- Par- elect ad necio-

post

post cladẽ iteratam ad *Parkan* ubi Mars tuus triginta millia orientalium animarum donavit Plutoni, vix tibi hyemare permisisti. Iam tot annis evaginatum tenes gladium, quot numeramus ab eliberata Vienna, & barbariam semper sub ictu tenes. Omni ineunte vere castra moves adversùs pennatos hostes (*Tartaros intelligo*) qui in retia, ut volucres cogi debent, non ut homines prælio superari. Duabus alis totum exercitum aliæ nationes movent in hostem, hìc singuli binas videntur habere alas. Volucres & pennatos esse Scythas, arbiter contribulisq; eorum Ovidius aspexit; non aliterq; in populos grassari, quâm milvos inter imbellem pullorum catervam latrocinari credas: *Scyth. incurs. reprim.*

Cum minimè credas, ut avis densissimus hostis
Advolat, & prædam, vix bene visus agit. *Cum ... thu ... re be... ficile.*

Harpyiæ istæ, frequenter nobis mensas cum ipsis convivis auferunt, quas ab Arcadũ infestatione æneo crepitaculo absterruit Hercules;* has verò Tauricanas Stymphalides, ferreo mucronis tui melius expellis stridore. Nesciunt, quid sit

vicinos Scytharum agere, qui Alpibus ſepti, aut mari interfuſi audiunt tantùm de illis; nobis perpetuum cum illis negotium, ſemper militia. Agricola quiſq; armatus ſuam glebam debet excolere, verè ad campum laboraturus (*id eſt*) certè pugnaturus, prodit, ubi:

hac arat infelix, hac tenet arma manu. Ovid.

Opiliones non ita timent ſuis ovilibus à feris, ſicut feritatem Scytharum perpetuò ſubverentur; imò ipſæ inermes oves minùs ſunt de lupo ſolicitæ, (*quem cuſtos ſuus canis latratu abigere poteſt*) ſicut Tartarum perhorreſcunt:

Proq; lupo, pavidæ bella verentur oves. Ovid.

…l mul- …intel- …es, a- …judi- …l val- …eptè.

Garrit quidem otioſum ignavumq; vulgus, diſcurrit ineptus popellus: Polonos nec augere, nec agere ſcire fortunā ſuā, non promovere limites, non invadere hoſticum; at ſolùm educere Martem ſingulis annis ad ventos ſectandos, & muſcas capiendas. Eja ſodes! cuperem te quiſquis es leonem, in has muſcas dimittere: cuperem te, mi bone, hos ventos, & ſibilos volitantium ſagittarum aure interritâ excipere. In ſpeculo hoc ſaltem

ad

ad quod muliebrem capillum torques, si Scytham videres, jam te ab illo captum crederes. At verò *Satyræ & imperita stultorum vituperia, parum à panegyri distant. Non quàm multis placeas, sed quibus, stude: quibusdam enim displicuisse laudari est.* Tunc etiam, cùm libertate suâ vigerent Romani, & victorioso milite latè florerent, maxima famæ insignia ab his referebant bellis, si eis de adeò bellaci gente triumphi obtigissent. Adeòq; & captivam se esse tributariamq; Scythis Romana gloria triginta totis annis ingemuit; in ducum oculis diripi Italiam orbis attonitus indoluit. Non natura locorum, non montium inaccessa, non fluminum obices genti huic in illum regnorum Paradisum clauserunt viam, ut ipse tunc oculatus testis Pòëta Stiliconis: *Scythæ tributarii buerun[t] ... manos*

Nonnè videbantur quamvis adamante rigẽtes
turribus invalidis fragiles procumbere muri?
ferratæq; Getis ultro se pandere portæ?
nec vallum, densæq; sudes arcere volantes
cornipedum saltus. Claud. de bello Get.

Ipsa antiquitas, Martem terrigenã Scytharum credidit, & ab illis oriundum a- *Mart... tria S... a. Scy... lius Hercu...*

doravit. Primum verò Scytham (*hoc ei nomen erat*) Herculis filium fuisse, traditio est; per quem avi sui Alcidæ spiritus & robur, cum quibus nobis lucta quotidiana est, desumpserunt. Vixisses enimverò vellem tunc, cum noverant illæ victoriosissimæ Romanorum gentes ferrū, qui nunc de eo solummodo tractas, non verò illud: scivisses, quid essent ictus sagittæ Scythicæ, qui modo Geticum vix sustineres culicem. Hîc omnes Romanæ illæ victoriæ hæserunt; hîc margines mare illud magnum Latinæ gloriæ expertum est, hîc effusis habenis fortuna Romulea currens, stetit coërcita. Hinc *Ovidius* scribebat Romam, quòd sit tam pervicax, & quidem (*curat*

Maxima pars hominum, nec te pulcherrima
Roma, nec Ausonij militis arma timet. Ovid.

...æ Ro- ...s in- ...biles.

Reputet nunc secum orbis universus quid pro bono Christianitatis contribuat Polonia? dum furorem Scythicum ipsa cohibet, aliàs medios nescio cujus victoris rapturum triumphos. Luctamur nos interim & tenemus æmulum, ut nostri socij veniant ad bravium; for-

...luden- ...: quid ...ent Po ... pro ...li mi- ...dum ...stinet.

...petuas ...eis ve- ...iones ...nt.

tu-

fortunæ cæterorum ſuccreſcunt, noſtrarum diſpendio. Hoſtem hunc ſi ſemel profligare vellemus, invitare ad prælium deberemus; quia ſi coégeris effugient; ſi reliqueris, inquietabunt. Adoriuntur, illico fugituri; fugiunt, exnunc reverſuri. Manum citiùs inijciunt, quàm conſerunt, cum ſomno noſtro potiùs pugnant, non nobiſcum, adversùs cibos noſtros & menſas præliantur, quia nec meridiem, nec mediam noctem quietā faciunt; de paſcuis equorum acerrimi bellatores, & hîc plerumq; victores, quia aurigæ noſtri herbam eis frequenter porrigunt. Concludat illos neſcio quis in campis noſtris, æquè latè cum Oceano diffuſis: compellat illos ad anguſtias, in area illa, in qua totius orbis exercitus confligere poſſet. Suſtineat illorum aſſultus in locis deſertis, jejunis, inaquoſis; ubi

Triſtia per vacuos horrent abſinthia campos,
Convenienſq; loco meſſis amara, ſuo eſt. Ovid.

In adeò iniquis locis, omnes victores, victi eſſent; rediret Iulius abſq; illo ſuo *VICI*, cùm *loco plerumq; victoriæ eveni-*

ant. Tot centenis annis pulſant latus
noſtrũ duri hi Cyclopes, & tamen mal-
tis cen. annis. leum fati terribilem ſuſtinemus. Carpũt
ſubinde arborem hanc venti Getici, &
folia auferunt, ſed tamen ſemper eſt fe-
licibus ramis. Gens noſtra vario fortu-
næ ludo exercetur: nationum furores,
non ſingillatim, ſed confæderatos, non
ſolùm repulit, ſed extinxit. Et nunc in
gratiam *Fidei*, in amorem Sanctæ *Eccle-
ſiæ*, benevolè ſe & ultrò cum Turcis ſta-
bilitâ pace exſolvit Polonia, & arma ſu-
ſtulit. Nihil nos conſtitiſſet pax non
abjecta, ubi modò tot milliones exerci-
tui numerandi ſunt. Petebamur a Tur-
ca, nè eum peteremus: provinciæ offe-
rebantur à *Porta*, nos verò etiam noſtras
avellere maluimus, ut *Moſchos* quoq;
traxiſſemus in ſocietatem armorum. Si
gratus es aliquis ſanguinis noſtri, & lita-
tam fortunæ tuæ vitam noſtram, penſi
habes, *IOANNI* noſtro totum in ac-
cepto feras. Deus te nobis dedit, Deus
te nobis ſervet ſervatorem patriæ, ſerva-
torem totius Chriſtianitatis! qui nè o-
mnes periiſſemus, ardoreq; flammæ (*ut*
ait

ait Cicero) conflagrâſſemus, capitis tui periculo non dubitaviſti providere. Nè autem poſt ſummam tuam diem deſis *Poloniæ*, nè deſis *Fidei*, corona Poloniæ non alia inquiret capita, quàm filiorum tuorum, cùm ex tuo capite jam ſit menſurata pro eis. Tu verò *SERENISS:* *NEOSPONSE* prima ſpes noſtra; in Te oculos, in Te animos trasferet à *Patre* Polonia, nè excuſa magnis paſſibus paternis ire, & vota noſtra in tuo capite coronare, nam licet deprecareris amores civium, tamen *debebis regnare rogatus*. Non ibit peregrè diadema regiũ eligendo ſibi per provincias & nationes caput, quod ſub illo nutare non poſſet, cùm veſtra *indoles nutrita fauſtis ſub penetralibus*, honorem hunc bonitate ſuâ alliciet ad vos, *Tria* gentis noſtræ decora *Sereniſſimi Principes*. In unoquoq; enim veſtrum ſuperſtitem habebimus Patrẽ, cui parem non inveniemus, quia non quæremus, quia habemus ſingulos veſtrum. Infelix *Auguſte* ſterilitate tuâ! quod privigno *Tiberio* ſucceſſionem debueris dare, qui poſtea thronum tuum

omni genere vitiorum contaminavit Quantùm ſolatij & tibi & Romæ attuliſſes! ſi *Livia* tua taliter genuiſſet, ſicut *IOANNI* noſtro, ſicut Patriæ noſtræ

SERENISSIMA

MARIA CASIMIRA

Regina Poloniæ

x Sere- mâ pro- dijs omnibus ſobolem invidendam reliquit. Singuli Sereniſſimi nati ſpeculum ſunt, in quo ſeipſam Mater Auguſta reſpiciat, nec quàm ſit venuſta Dea, opus eſt, ut conſulat vitrum, ſed quemcunq; prolis feliciſſimæ vultum. Quid tu Leda dicis? nonne malles aliquē ex his, quàm dare Caſtorem? quid tu ipſa regia Iuno? æ ele- â incō- ilis. credo libenter poſthaberes Iovem maritum Ioanni; niſi timeres ſuperlatam tibi ab eo *MARIAM*. Et verò appretiari debet ſuper omnes ſui ſexûs æmulas, ſive Dearum, ſive heroidum quæpiam de palma contenderit, ubi vtraq; corporis & animi elegantia, mutuis ſe venuſtant decoribus. Illa mali punici purpura, per verecundas tuas *SERENISSIMA DOMINA* explicata genas, ita ornat

pul-

pulchritudinem tuam, ut inter cæteros vultus reginam ſe faciat. Inter Europæas facies unam tuam excelluiſſe ſemper, conſtantiſſimè ferebat fama, adeò, ut quod olim ſuæ Helenæ Paris hyperbolico affectu adulatus eſt, hoc tibi plano corde, & non offensâ veritate attribui poſſit.

Nec tibi par uſquam Phrygiæ, nec ſolis ab ortu
Inter formoſas altera nomen habet. Ovid.

Illos columbarum oculos, animorum foculos, illas turturis genas, deſideriorum gehennas, illas coccineas labiorum vittas, ligamenta cordium, & quodcunq; ex melioribus pulchritudinis ſymbolis, in ſua ſponſa admiratus Salomon, plenâ tranſlatione in te collocavit natura. *Nihil turpius, quàm matres pulcherrimarum roſarum ſpinæ, cum ſeneſcente folio, cecidere roſæ:* tibi hactenus maturior ætas, nec amænissimum illud ver genarũ, nec flores venuſtos læſit. Speculo damnãte aniles rugas, horret ſe ipſam ſenectus in Helena, laxata in rugas cutis larvam efformat, quæ decus juventutis abſcondat: Simi *tuo vultu ſemper cryſtallum ridet.* Quàm cõ- & d animi

omo pul- / er, ferme / us : tur- / ; ferme / lus.

pta eris *SERENISSIMA DOMINA* in ternis virtutum decoribus, ſi extimæ Charites tuæ, alias quàm virtutes non volunt ſocias? Quamvis enim *beatiſſimus cæteroquin ſpiritus, ſub quacunq; cute latere poſſit, tamen regnare non niſi ſub pulchra.* Pulchræ menti deforme corpus, eſt idem quod luridum & perſtillans imbre tugurium magno hoſpiti; in quo licet urgente nimbo invitus ſedeat, mox tamen libenter ſqualorē deſerturus. Sic regum animi, ſicut reges non habitant miſerè. Vt turpis aliquando diceretur virtus, nunquam hoc infame admiſit vocabulum: & quare in turpi corpore amaret ſtationem, ſi cum verbo ipſo odit ſociari. Saxa & ligna reverentiam habent, quibus inciſi ſunt Angelorum vultus, infernalibus inſignita monſtris terriculamento ſunt. Solis item vultus, & propitiæ mundo naturæ, & pulcherrimus eſt; ferales ſemper rubore ſuo cometarū ſpecies. *Nihil qvod eſt noxium amænam portat formam.* Vrſis turpis villoſitas, & rictus ſanguinarius, apris, unco tremendi dentes maxillam deformant;

in-

insontem agnam mitis figura, meliùs & absq; armis composuit. Inter Deas discrimen videamus: quæcunq; malitiæ & rabiei ministra erat, monstroso quoq; pingebatur vultu, at Iuno cum Diana & puchritudinis, & bonitatis primiceriæ. *Vis lapidescere? videas scabram Medusæ faciem; tam bona Megæra, quam pulchram vides* Aurora verò vix primo mane purpuream elevavit palpebram, omnium aspectu ejus hilarantur animi. Ex optimo bonarum Dearũ cœtu te nobis donârunt Dij, quam præstantissimis quibusq; attributis tua ipsius exornavit bonitas. Pietas tua quâ cum Deo regali munificentiâ certare videris, retribuendo ejus liberalitatem, inexhausta est: ideoq; bonum creditorem semper habuisti Deum, quia sine numero creditas tibi gratias, ex asse ei persolvebas, nolendo in quopiã obligata esse, quando etiã cor tuum regale in manu Domini posuisti. Largitiones tuæ utiliores omnibus, quàm illæ quas Titus prodigebat in amicos, quia Dei amicitiã illis lucraris. Iam debes scribi etiam Regina cœli, quia jam de eo cum Deo con-

Regi stra tissim ga.

tempus mitiorũ idtc So. ificia arum brari s.

traxiſti; jam primam portionem ſummarum tuarum dediſti. Quandocunq; ſolemnes Comitiorum peraguntur convẽtus, tu cum Deo conſulis de Republica, quando maritus cum civibus. Quinquaginta miſſæ bono publico votæ in ſingulos dies; ut niſi conſultis altaribus, non eatur ad ſcrutinium conſiliorum. Adeóq; mercede omnipotentem Deum tenere & captare videris, nè in plagas contra nos, ſuam bonitatem armet. Non ita ſibi propitiam Iunonẽ quamvis pio thure & precibus de cœlis advocaretur ſentiebant Romani, quemadmodum tu etiam non exorata a nobis, pro nobis tamen exoras. Quamvis non eſſes Iuno, Iovem tamen iratum mitigare poſſes, fulmen ei libratum in capita mortalium extorqueres. Nec ſufficit te eſſe piam donec vivis, ſed poſthumam inſuper tuam devotionẽ videbit Polonia in erecto Sanctimonialibus clauſtro, ubi tot ſuperſtites virtutes & gratiæ tuæ in oculis hominum diſcurrere videbuntur, quot Sanctæ îllæ ſupererunt Virgines. Amat hîc vaporata thure devoto altaria Deus, & aras largis

wiæ Mo- ad tam. onč cra-

col-

collucentes ignibus, ut jam rubo arden-
te non indigeat, poſtquàm inter tuos
ignes etiam nobis in *SACRAMEN-
TO* apparet. Nova certè es fundatrix,
quæ chorum Angelorum in terris funda-
viſti, qui nihil illis cœleſtibus in perpe-
tua adoratione concederent. Can-
tus dulciores in terris audire nolumus
ſuper hos, quibus pijſſimæ Sirenes iſtæ
corda hominū excantant, in Dominoq;
obdormire faciunt. Servant Sanctiſſi-
mæ Veſtales ignem perpetuū, qui clau- *Ipſa p*
ſo Sacramentaliter Deo colluceat. Sic *ma.*
tu etiam Herois poſt heròës prima, quæ
ignibus & focis, pro aris militas, dum in
meditatione tua exardeſcit ignis. *Hæc
tua arma, pietas eſt, quâ inimica Reipublicæ
profligatur fortuna.* Fulminibus antea Ro-
mani Dij cum ſuis loquebantur ſupplici-
bus, & ex crepitu diruptæ nubis, de men-
te Iovis reſciebatur: tua precatio nu
bes penetrat, licet taciturna; dum me-
ditatione tuâ cœlum perambulas, quid
de noſtra ſalute meditentur aſtra, uni ti-
bi datur noſſe myſteria regni tui. Immo- *Gen*
tæ illæ genuflexiones tuæ, abſens à te *Miſsā* *tidie*

pſa cogitatio, mens inter cœlites expedita, ad ſacrificium miſſæ extatica contemplatio, vix recluſis in parthenone animabus uſitata. Sanctas pro anachoretis credebamus eſſe ſilvarum tenebras, cum ecce in medio fulgentis aulæ tu eremum facias. Inter precandum, ſimulacrum aliquod & ſancta effigies credi deberes, dum attonito ſpiritu in Deum te transfers: niſi vitales tui vigores immortalibus potiùs accenſeri juberēt. Reliquis etiam fervida ſolet eſſe pietas, ſed tamdiu, donec inter pulvinaria Deorū calent in tēplo; progreſſis ab ara in ventos & auras inanes dilapſi ſpiritus refrigeſcunt. Tua ipſa mens, ſacrarum Dei, affectus, miniſter, juge ſacrificium, pia

udentiſſi- Domina

deſideria. Et inde eſt, quòd aſſiſtens ſapientia divinam tibi mentem ineſſe demonſtrat. Conſulebat olim Sibyllas antiquitas; periclitante aliquâ Republicâ, ad ſaxeos aut ære fuſos Deos, ibatur pro oraculis; non quærenda Polonis per antra Cumana reſponſa, tu in promptu oraculum conſulentibus: non volumus mutas effigies; tu diſertiſſima vates

fe-

felicitatis noſtræ. Alias *humana prudentia communi ſemper laborat defectu, quod neſciat fortunæ conſequens:* mentis tuæ oculi ita in præſentibus ſiſtunt, ut reſpiciant futura, nec ſolo antecedenti fortunæ contenta es, ſed utrum bona ſit futura conſequentia, diſputas tecum. *Magnis aliàs fallacijs hæc Dea utitur, in uno plerumq; termino decipit: peſſimè argumentatur; quia ex veris & bonis præmiſſis, malè adverſùs hominem concludit;* omni prorſus contra te ſophiſmate invalida. Nempe jam arbitrij tui tota eſt, uteris illâ non indiges. Sub magiſterio prudentiæ tuæ habet ſuam apud te diſciplinam, alibi magiſtra inſolentiæ, hîc probitatis diſcipula. Cògiſti illam non tuis ſolùm obſequijs, ſed civium quoq; votis famulari, ut, quidquid ex ejus miniſterio deſiderant, per te demandari deſiderent. Quoſcunq; ergo felices vides, tuos eſſe puta, quorũ aſcenſui promotricem dediſti manum: *Principum eſſe munus & deorum rata, novum dare hominibus fatum, & fortunæ eos eripere, inq; meliorem ſtatum tranſcribere.* Florem virorum & capitum, quemcunq;

in Republica vides, tuæ plantationis eſt; quos ceu arbores in hortum ex ſylvis illatas, beneficijs excoluiſti. Totus hic Senatus tuis manibus veſtitus eſt purpurâ; omnium Curiæ Patrum, Mater es. In omni demum actione tua fæminam ſuperâſti, ſexum tuum viciſti; ut lapſa retro ſæcula non reſpiciamus, neq; Babylone Semiramidem miraturi, neq; armatas cohortes Amazonum reſpecturi, ubi nullam ex heroidibus nobis producent ſæcula, quæ comparatione tui non vileſcat. In uno tamen non potes naturam tuam diſſimulare, nempe, quòd bellis terrearis; in hoc cum amantiſſimis quibuſq; conjugum ſuorum conveniſti. Nam quoties caſtra vocant Sereniſſimū maritum tuum, doles, trepidas, terreris, lamentaris, conquereris, tanquam ſi Deianira eſſes, & Herculem contra monſtra digreſſum deplorares:

ere-
verè
con-

Vir mihi ſemper abeſt, & conjuge notior hoſpes
Torqueor, infeſto nè vir ab hoſte cadat. Ovid.

Sæpiùs enim ille viduum cor tuum, & orphana deſideria fecit, quoties amore noſtri, oblitus tui, in medios hoſtes ſeſe

in-

inferebat: te autem, quomodo caſtrorū alea jacta eſſet formidante, & abſentiā dolente; fleviſſe ſolatium erat. Eſt & alterum : inter has timoris larvas, quæ ſe menti tuæ ingerunt; vivæ ſui Patris imagines , Sereniſſima Soboles tua, quæ te pro eo recreat, dum abſentes illius vultus in quocunq; deoſculari ſoles. At præcipua eſt illa cordis tui amænitas, theſaurus tuus, gemma tua, deliciæ gentis noſtræ, Filia tua,

SERENISSIMA PRINCEPS

TERESIA

Magnorum Soboles regum, parituraq; reges; cui tanta eſt indulgentia formæ, ut in nullo effigiando vultu accuratior videatur natura extitiſſe. Æternus flos genarum tuarum *SERENISS. PRINCEPS* ita venuſtè ſe ipſum pingit, ut Deam hortorum Floram, ex omni roſario huc pulcherrimos tranſtuliſſe colores conſtet. Nulla in fronte mœroris nubes, & tamen duas Irides, duo ſoles, oculi tui in ſupercilijs formant, ſigna nempe fæderis inter virtutem, & pulchritudinē

Ejus
ſtas.
deſti

tuam. Verba ex ore Vestalium alia non sunt audita, præter tua; quæ cùm facili nectare fluidissima ruant, aurem dulcedine inebriant. Etsi interdum ex majestate gravis sese relaxat animus, inter jocos, non (*quomodo vulgus*) sales, sed saccharum spargis. Narcissus si vidisset, quantùm hîc sibi indulsit natura, nunquam superbivisset, nunquam se ipsum amâsset. Vide rustica senectus, quæ amænissimos etiam facierum campos rugis arare soles, nunquã in hoc vultu tristem exerce œconomiam. Vide quàm immortales Gratiæ in divæ Parentis aspectu inter lilia & rosas faciei, primæ adhuc juventutis Majum celebrant: idẽ pulchritudinis vigor & in filia temerari

catio , non olls.

non poterit. Nec enim Venus hæc pudicissima, ex debili spuma & vitro maris genita est: Mars ei pater; una ex heroidibus mater. Dianæ socia, & formâ, & vigore æmula. Non est cruda Amazonũ virginitas, quæ vix fronte fateatur sexũ, sed blandior indoles, nec lenocinio voluptatum fluxa, nec austero spiritu intractabilis. Sic Nymphæ formosa acies vena-

natricis Deæ, & robur & decus. Cor tuū ad ſuam faciem ſi habuiſſet Helena, vidiſſes parem; ſed nunc ore ſolo te æquat. Aurum dotale, & gazas divites non opus eſt, ut ei numeretis Parentes Seren: *regnum poterit hoc ore mereri*. Iam enim tacitè conſpirant corda principum, in hujus thalami beatitudinem venire; ponuntur in libram regna, quo citiùs obtineri poſſit. Hæſitant, voluntq́;, noluntq́;, & necdum ſuo voto ſe concredere poſſunt principum animi, nè ſuâ ſpe dejecti audaciam voti redimant dolore. Suſpenſum omnium ſilentium librat eorum mentem: concurrant, an taceant: ſeipſos ponderant, *quem tanti thori fortuna maneret*. Hercules ipſe, ſi in hæc tempora natus eſſet, non pro Deianira Centauros in monomachiam evocâſſet, ſed tuis immori elegiſſet amoribus; invideret Atalanta, quia non ei, ſed tibi aurea poma oblata fuiſſent. Aureo nihilominùs etiam nunc regni cujuſpiam pomo obtinenda eris; nec aliter quiſpiam Hippomenes concurrat in hoc ſtadio amoris, quia nunquam habiturus palmā.

Augur de fu eius co bio.

O2 O!

x ea Se ssimis ventibus gna concio.

O! sanguis divum; o! *qui te genuere, beati.* Infelix Proserpina miserrimæ Cereris dolor; quòd Plutonem generum, imò furem & raptorē filiæ meruerit. Quàm tristis ille nuptialis dies? ubi hilaris Megæra funesto applausit Hymenæo, alijq; damnati spiritus in coactam educti choream, compedibus, & pulsu catenarum ululanti choro assonuerunt. Tu *SERENISSIMA PRINCEPS* semper dulcoras parentum corda, quoties aliquid de svavitate morum tuorum eis propinas, nullum spei magnæ ponis limitem, dum infinitas dotes tuas percensent. Iam obambulant, & se oculis Patris tui ingerūt, futuri ex te nepotes, omnes coronati, omnes regali murice paludati. Tu sponsa, & mater regum, non dispar genitrici tuæ, sic genitura, sicut es genita. Tenerrima adhuc rosa es, nec toto evoluta nodo, sed mox matrem tuam expressura; quæ itidem ceu altera rosa pleno jam flore, & vernis roribus satiata, spatio indulget, & latè suam explicavit purpuram. Sic minor oliva penes annosam adolescit oleam;

sub

-- -- -- *ſub matre virenti*
Laurus & ingentes ramos, olimq́; futuras
Promittit jam parva comas. -- Claud.

Habes interea *SERENISSIMVM* fratrem *IACOBVM* qui eſt & ſanguinis Auguſti primitiæ, & gentis noſtræ primæ deliciæ: vides quantùm jucunditatis cum Hymenæo ſuo non invehat Poloniæ? tu quoq; debebis fieri ſecunda lætitia noſtra. Et quando jam pronuba Iuno, hauſtis ex ſacro ſibi latice aquis, regalia aſpergit tecta, ac in toto penetrali Sabæos adolet odores; quando gemmeis columnis ſuffulcit thalamũ, venturæq́; nocti plurimam ſuſpendit lucem: Tu quoq; ſimul cum Auguſta matre tua, pios famulantis Deæ adjuvate labores. Huc omnes manubias victorioſiſſimi *IOANNIS* accumulate: quidquid innumeris quæſivit bellis, quidquid barbarorũ gloriæ detraxit, comportate:

Nobilibus gazis, opibusq́; cubilia ſurgant Claud.
Barbaricis, omnes thalamo conferte triũphos

Conferunt in hanc pompam duo inſuper alij *SERENISSIMI FRATRES* omne decus ſuum

P ALE-

ALEXANDER
&
CONSTANTINUS
Sidereæ proles augusta Mariæ.

tenera gra- Virili jam nunc juventute, & moribus reges; quamvis necdum electi, sed jam electissimi; Domini, necdum imperantes, adhuc non trabeati, & jam triumphaliter agere docti. Nimirum *SERENISS. PRINCIPES* præludia ætatis vestræ, argumenta sunt senectutis; antequàm excrescatis, jam scimus, quãti esse debebitis, cùm mensuram ex vestris moribus, accipimus. Cæterùm *senum habere prudentiam, plurimis non est permissum vetulis, plerisq; autem puerorum ante annos maturuit.* Decadibus & centurijs annorum gravantur pleriq; nondum vitâ graves: dicuntur provecti annis: at pueris etiam provehi suis grallis accidit: si tale est annorum curriculum, quale puerorum, & si hi in arundine longa equitant, illi in suo curriculo, non multùm a se discesserunt. Vobis ea jam maturitas & perfectio morum, ut crescere posse non videamini. Si usq; ad terminos in-

indolis veſtræ ſe extendat ingenium oratoris, tanquam in infinito ſyncategorematico finem non inveniet; ſemper & in infinitum gloriâ, veſtrâ procedente. Scilicet, *ſoli & principum genio eadem eſt proprietas non creſcendi: & illos & illum tantum vidimus in ortu, quantum in occaſu.* Primas Herculis vix nati lachrymas & vagitū monſtra timuerunt; adhuc in cunis orſus erat laborem ſuum in laceratis ſerpētibus, quem in hydra & leone alijſq; cōſummare debuerat. Fecit & vobis injuriam *Sereniſſimi Principes*, ſi quis infantiles lachrymas veſtras, genethliacam gēmarum appellavit grandinem; fecit injuriam, qui rorem ex ambroſia diſtillatum, quo orbis noſtri vireret felicitas. debuerat dixiſſe: eas fuiſſe Macedonicas jam pubeſcentis Alexandri, quòd ſtatim vobis Macedonia omnis anguſta videretur, niſi explicatis armis, regnum quiſq; ex vobis ſibi inveniret. Verùm merebimini invitari ad coronas, nō perrumpere: *ultro ſe purpura ſupplex tantis advolvet genibus.* Qualiter enim vulgus, & communis populus auderet vobiſcum

vivere, qui naſcendo facti eſtis reges? Nec ſuffecerat naſci regaliter: aliâ & quotidie regiâ animat vos vitâ *Sereniſſimus Parens*. Enim verò: *educatio bona, altera eſt vita, quâ genitores noſtri, rurſus nos mundo & fortunæ gignunt*. Semel itaq; hominem naſci, & miſerum, & commune eſt; à matre diſciplina alteram civilem habere vitam, hæc demum eſt, in cœtum & collegium hominum genitum eſſe; illud in ſocietatem viventium. In aula regia tanquam in caſtris excreviſtis: ſi fortè caſſidem dracone aſperatam, & trucis colubri ſpiras tortiles, ſuper eam vidiſſetis, tanquam parvi Hercules ad lacerandam, manus tetendiſſetis ex cunis. Scutum politiſſimo nitore vix videri patiens, vobis Martiale ſpeculum: ignei ſcloporum crepitus, infantilia veſtra crepitacula: equo inſidere, altera cunabula. Sicq; per jocum, & luſum puerilem, heròés fiebatis, nunc arcus tendendo, nunc manum ad ictus rotandos docendo: quēadmodum & Mars puerulus, ſudavit ludendo adamantinâ haſtâ, quâ olim bella indicturus erat. Molles geſtus & ge-

…cantur …liter nō …atè

ſta-

ſtationes gerularum, adeò exoſi eratis, ut oculi veſtri contra earum lenocinia lachrymas jacularentur, non quia illarũ feminarum, ſed quia illam femineam mollitiem jam tunc oderatis, nec placari niſi a quopiam milite potuiſtis. Ita mulierum cantus faſciatum adhuc in Ida Tonantem pacificare non poterant, ſed imbelles earum voces magnis obruebat vagitibus, donec diſtrictis mucronibus fulgurantes, & inexplicabili clypeorum pulſu, ſaltum exercentes militarem Curetæ in ſomnum componerent. Et hæc debẽt eſſe rudimenta principum, quæ ipſius Martis, qui vix natus erat, ſtatim per Scythicas reptavit nives. Vix ſuum enixa Achillem mater, exnunc immergit, ut ferream contraheret pellem. Exiguæ generoſitatis volucres, in umbra nidificant & excludunt pullos; aquilarum nidi ad ſolem & pluviam expoſiti; paſſerculi plumas, & quod mollius eſt, inſternunt filijs, quercus aquilarum locus. Am
Et inde increvit vobis quidam militiæ ros
amor, ut eos tantum amplectamini qui res.
ex hoſtili acie adhuc madent ſanguine,

pictos coloribus, odiſtis viros; glabras
pigmentis facies alijſq; formæ virilis ve-
nenis medicatas vix aſpicitis, cicatricũ
cum pretio æſtimatores. Illi everſori
Trojæ Achilli tamdiu hoſtes eſtis, quã-
diu in gynecæo ſedit; quando ſe hoſtem
declaravit Hectori, vos ejus amici. Si jã
icaciæ captûs ad beatum ingenium veſtrum, ſuum in-
ı, in- corũ- felix oratores vertant, infantes, adhuc
penes veſtram infantiam fiunt, non quia
melius dicturi aliquid, vobis jam bene
loquentibus, ſed quia ea verba, quæ ab o-
re veſtro prodeunt, ita grandeſcunt, ut
minoris facultatis eloquentia ſi eadem
referẽdo velit exprimere etiã in magno
Ciceronis ore anguſtias patiantur. Imò
ſi illa ipſa adhuc in ore infantili veſtro
dimidiata verba narrare vellet, quæ lo-
quentibus ipſo offenſantis linguæ fra-
gmine dulciorem faciebant loquelam,
melleus quoq; balbutiret Neſtor. Doti-
dile- ı Se- bus ejuſmodi *Sereniſſimi Principes* planè
ırët. animum auguſti Parentis veſtri aufertis,
& in vos tranſportatis: quomodo Laco-
nes illi Dij Caſtor & Pollux necdum ex
ephebis egreſſi, & jam in ſtellas commu-
tan-

tandi, ingens Patri ſuo Iovi voluptas: dũ pariter utriq́, ſtellati crines, utriq; auro flueret Spartana chlamys; ambo pares, ambo cœlo & Iove digni, ambo unus; ut unum pro altero ſubinde amplexus genitor, amaret ſui amoris errorem. Vnumquemq; ex vobis ad latus *Sereniſſimæ Genitricis* videre, non eſt aliud, quâm Phœbum adoleſcentem hærere in materno Latonæ ſinu. Abijcerem jam hîc calamum ſi omnium ora poſſem adducere, quos per Poloniam indolis veſtræ habetis laudatores. Non in oculos, literis aut paginâ importare, ſed in aurem veſtram vellem ponere, incredibilia, ſed credenda, quia de vobis, Patriæ vaticinia. Quotieſcunq; vos illa aſpicit, toties ſuos videt triumphos, & quod olim geſturi eſtis, iam in ſpe Poloniæ agitis. Iam videt, quomodo catenis vinculatus Boryſthenes unum ex vobis Xerxem fatebitur eſſe, qui rebelles illius populorũ fluctus, & gravem armorum tempeſtatem cogat deprecari; videt populatores Scythas, jam colligere ſarcinas, & ultra Euxinum meditari; mucrone veſtro viam demon-

Dilect civibu

ſtrante. Deniq; ita concluſum cœlitus de Polonia noſtra, ut ad perpetuam amœnitatem temporum inviƈtiſſimus Parens veſter ipſas ei lauros ſerat, vos verò oleas. Et quæ de tuis fratribus auguramur, eorum tu iam poſſeſſores nos efficis *SERENISSIME NEOSPONSE*. Flores illi ſunt ſpei noſtræ, tu fruƈtu decuplo expeƈtationem publicam recompenſas dum eam regibus imples. Orbis totius monarchas, planè concives noſtros effeciſti, quando procul & de ultimis finibus pretium ejus conſortis quærebas, cujus ſanguinis aſſiſtentes tot eam tibi, & nobis adducunt principes. Eadē facies cœlorum erat, idem feſtus inter aſtra dies, quando vir faƈtus Iupiter, ſuā Iunonem conjugem ſibi eligebat, quam tibi hodie, o! Polonia

r in illis ublicæ ima.

n Sere- Nèóſpō- m effe- ur.

connu- cele- mū & imum e.

SERENISSIMI PRINCIPES

IACOBVS

&

HEDVIGIS

Nèóſponſi

abſq; augure, & ſcrutinijs fatorum effici-

ci-

ciunt beatam. Accende igitur feſtum nubentibus ignem; caleant thure ſacræ Iunonis aræ, exhalent ſertis recentibus odores; quando ipſi primi qui jacent pro limite tuo hoſpitem vix è ſummis verticibus proſpexerunt nuptam,

Lætantur montes, & connubialia plaudunt.

Quare hil illi feſtum jucundi dici deb

Neq; enim opportunus erit, qui alia agat; & tripudiante aulâ Stoicas conſiderationes & Philoſophorum gravitatem adferat. Adeò ut calamus ab ipſo tui elogio reſiliat *SERENISSIME NEOSPONSE*, qui modò hoſtili ſanguine tinctus, in actionibus paternis, uſq; ad ruborem profligatorum ſcripſit: modò liquidis gemmis, matris inæſtimabile ſignabat nomen: modò nectareo charactere, dulciſſimos fratrum ſororiſq; tuæ mores exprimebat; nunc niſi hortari mẽſas, choros animare, dictare lætitiam tẽporis credit eſſe ſtylum. Fruſtra *Latinus* parens *Laviniæ*, hoſpitem & ſponſum filiæ Æneã alijs ſtudet delectare, quando nec ſupellex regia, nec ſplendidi aulicorum greges, ſed ſola eſt mentis ejus occupatio, *Lavinia*. Etenim *amanti vile-*

ſcunt omnia præ amato. Appretiantur ſuper cætera, quæ diliguntur inter illa. *Amoris conſtantis oculi non ſolent videre, niſi unum; vagus circumſpicit.* Propria tua decora, & heroicas actiones tibi explicabimus? non audies: quia nec te ipsũ amas, nec tibi jam vivis, ſed in alteram vitam tuam *SERENISSIMAM NEOSPONSAM* omnem tranſtuliſti affectum. Nec oblivisci tantùm tui propter hanc, digniſſimum credidiſti; non dare illi duntaxat vitam tuam in arbitrium, ſed perdere in victimam amoris:

c ſuas i us lau- amat.

Digna quidem merces, & ſi tibi Iuno labores,
Herculeos, ſtygijs & ſi concurrere monſtris *Stat.*
Fata darent, ſi Cyaneos raperere per æſtus.

Et tibi, & de te ſcribitur totũ, quidquid iſtæ circumferunt pagellæ, & tamen graviores ejuſmodi ſcenas, in ipſius lætitiæ tuæ theatrum non audacter producimus; nè craſſiore cothurno, inter cæteros Muſarum choros, ſvaviùs incedentes, obſtrepant inconditè. Ideo Martẽ tuum in Patre expreſſimus: nè te ad caſtra vocaremus, quando lætandum eſt. Bonitatem virtuteſq; omnes in Matre,

o in Pa lauda & Ma s clo ia atrumq; s ſunt.

fra-

fratribusq; ne severam aperiremus virtutum palæstram, quando hilarior aula jucunditatis præcepta ponit. Insuper magnum argumentorum conatum exerere, in tuæ originis deductionem, supervacaneum videbatur, quia nec ullus adeo ignarus est, qui genus hoc per grandes avos admotum superis ignoraret, nec tuo honori aliquod inde accrementum. Satis est tibi Herculi, quòd sis Iovis filius:

Quis venerabilior sanguis? quæ major origo?
Quàm regalis erit. - - - Claud. *Nec bene inter alia.*

Expeditiones deniq; illas *Viennenses* infinitis honoratas trophæis; *Budziacenses*, inexplicabilibus locorum circuitionibus, tempore & tempestate difficiles, tibi facillimo susceptas animo possemus in arcus triumphales erigere, sed epithalamicâ svadâ nunquam bellicis tubarum stridoribus se commendat. Alios tibi à *Vienna* triumphos Hymen tuus ducit: lætius Iunonis festum, quàm Martis tui, qui ad aras gloriæ, non nisi crudele sacrum hostiles litando animas tuo honori solet celebrare. Nunc quidquid vellemus dicere Martiale, statim se ipsas

jucundiori tranſponunt anagrammate literæ & maritale ſonant. Augurijs, votis, acclamationibus feſtæ huic luci ſubſcribendum eſt. Omnia vobis *SERENISSIMI NEOSPONSI* dixit, qui hoc unum:

Vivite felices, quos amor, ſociavit & ætas! Ovid.

ſſima onſa ıblic Reip. *Floridiſſimo ætatis tuæ vere SERENISSIMA NEOSPONSA ſpes publicæ hilaratæ, amœniùs germinant; priſtino flore ſuo exornata Polonia, lætiorem rerum & fortunæ faciem exhibitura videtur. Matrem fortunæ hucuſq; neſcimus, ſolus illius pater (idq; à Poetis) dicitur eſſe Oceanus, turbidus parens prolis inquietæ; at tua tandem incipiet eſſe conſtantior filia poſtquam eam huic regno paries.* e i de- Po *Et vero nobis nata eſſe videris, quæ nomen HEDVIGIS à Polonia accepiſti, in ſuam patriam illud tecum referre debueras. Hoc erat in fatis Lechiam quoq; viſere tuis, poſtquam te in ipſo Baptiſmate Polonam Spiritus Sanctus appellavit. Sicq; & fata tua urgebant, & decus tuum trahebat Sereniſſimum PRINCIPEM IACOBVM ut corde ſuo te emiſſet nobis. Nec enim tu aliter haberi potueras, nec ille pretioſius aliquid amo-*

amore tuo voluisset. Non ideo amata es huic nostro Antonio Cleopatra, quia gemmam regni propinavisti, sed quia tu ipsi gemma tu decor & pretium. Aliter nec rudis adhuc ille Trojanus inter pastores judex decrevisset: si inter æmulas stetisses Deas, & formosior judicata fuisses, & prior pomo cœlesti donata, & quæ in eo ambitu victrix evaserat, tibi cessisset;**

Forma decora.

Si tu certamen pariter venisses in illud,
In dubium Veneris palma futura fuit.

Quæsivit ille cœlestem formã tuam tabulis, & nè aut penicillus decori illi aliquid decerperet; aut infidelis color nimium divinitatem faciei expallescens falleret, in tua purpura exprimenda, quam enim tu habes

Forma nisi in veras non cadit ista Deas. Ovid.

Verùm attulit ipsa imago tua illas virgineas pudicitiæ flammas, quæ ad primũ Hymenæi rumorem sese succenderunt. Explicuit vivam oculorum crystallum, per quam etiam cordis mysteria videre licuisset. Raptus quidam erat attonitæ pupillæ vel effigiem *HEDVIGIS* videre, quam ex omnibus provincijs Principes unam cordi suo assignârant metam

Pr… dej… illi … Nèó…

S nul-

nulli tamen lectiſſimus Europæ totius ſanguis, præterquàm tibi *SERENISSIME NEOSPONSE* creditus. Diu libra quædam pependit, in quã rivales principum amores poſiti ponderabantur, donec inter omnes viros, quos orbis obtulerat, tu legereris. Mundi totius dominos, feciſti tibi affines, & unâ ſuâ dexterâ *HEDVIGIS* tua, in domum tuam omnes manuduxit. Et ſi aliquid eſt,

ea af- ys Im- torũ & m.

inter cognatos poſſe referre Iovem:

certè idem tibi erit Auguſtiſſimum *LEOPOLDVM I.* Imperatorem Romanorum cum illa acceſſiſſe. Accedit Sereniſſimum agmen Regum, *IOSEPHVS I.* Romanorum & Hungariæ, *CAROLVS II.* Hiſpaniæ, *PETRVS II.* Luſitaniæ, Reges, qui dotales planè coronas ſuas & conſangvinea ſceptra, tua eſſe faciunt. Portat huc & *Parma* cũ ſuo *ODOARDO* Principe & *ZOPHIA DOROTHEA* ſorore tuæ *SPONSÆ* omnia *FARNESIORVM* decora. Toto deniq; *Rheno* meat ad te felicitas; Sereniſſima inſignia, Pala-

la-

latinos honores, inter magna fratrum *HEDVIGIS* tuæ nomina lætus in Poloniam educit Hymen. Si ad originẽ tanti Oceani respiciamus, ortum ejus inter *Serenissimos* Duces Bavariæ invenimus. Hinc illi Imperatores, *LVDOVICVS* scilicet qui Romæ fuit coronatus Anno Domini 1323. & *RVPERTVS* inter Imperatores *CIV.* anno Christi 1400. electus, ex Rheni Palatino Cæsar. Quãtus hinc demum ordo *DVCVM* sequitur? viritim planè ab omni serie honoratioris sanguinis hodierno militatur Hymenæo. Post Duces *Brandeburgicos* interveniunt *Saxoniæ*, intercedũt *Austriæ*, sequuntur *Burgundiæ*, miscẽtur *Bohemiæ* conveniunt *Masoviæ*, sociantur *Glocestriæ* & *Franconiæ*, uniuntur *Lotharingiæ*, fœderantur *Gelriæ*, adoptantur *Carinthiæ*, consentiunt utriusq; *Bojariæ*: tandem *Lucemburgenses*, *Brunsvicenses*, *Bergenses*, *Bipontini*, *Virtenbergenses* *Svidnicenses* omnes sua claritudine hanc pompam nuptialem addensant *Duces*. Stipant potẽtes *Principum* ordines, Principũ *de Croy*, Principum *Vraniæ*, Principum *Anhaldi-*

Ex bo guine perat Roma duo.

Duce.

Princi

norum, Principum *Radziviliorum*. Comi-
ites. tantur dehinc *Comites Brabantiæ, Lanca-ſtri, Goriciæ, Iuliacenſes, Hollandiæ*, Comites *in Veldens*, Comites *Hohenlohe*, Comites *ab Ætingen*, Comites *de Mortaygne*, Comites *à Naſſaw*, Comites *à Leonſtein*, Comites *à Witelſpach, Waſſeburgenſes*, Co-
Comi- mites *Dillingen*. Vice-Comites *Mediolanenſes, Burgravij Normbergenſes*. *Landgravij Haſſiæ*. Proceres deinde ſacros, & purpuratos Eccleſiæ Patres ex hac Palatina ſtirpe habes *SERENISSIME NEOSPONSE* cum nupta *HEDVI-*
inales uerüt. *GE* hoſpites. Primum habes in Anno Domini 1205. *CONRADVM* Archiepiſcopum Moguntinum, & Salisburgēſem. Secundum *IOANNEM* Epi-
hiepi- quinq; ſcopum Friſingenſem. Tertium *PHILIPPVM* Epiſcopum Ratisbonenſem, tres *S. R. E. Cardinales*. Habes quinque *Archiepiſcopos*;* *IOANNEM* Magdeburgenſem, anno 1469. Colonienſem, *ROBERTVM* 1463. Salisburgenſem, *ERNESTVM* 1540. Colonienſem alterum *ERNESTVM* 1554 *FERDINANDVM* rurſus Colonien-

ensem anno Christi 1577. Habes Episcopos octo. Anno Domini 1426. *Ioannes* Episcopus Leodicensis. *Robertus* Episcopus Argentinensis Anno 1439. *Robertus* Episcopus Ratisbonensis 1457. *Albertus* Episcopus Argentinensis 1474. *Philippus* Frisingensis 1506. *Georgius* Spirensis 1513. *Henricus* Episcopus Trajectensis, Vormaciensis & Frisingensis anno Christi 1487. *Robertus* Ratisbonensis. 1507. Nullum ex sacris, nullum ex civilibus gestat fortuna insigne, quod in Domûs hujus manibus non fuisset. Ex tanta claritudine gentis Palatinæ & Electoralis, tuæ inquam *SERENISSIMA NEOSPONSA* non obscurus bonæ spei affulget radius, quòd eadem fertilitate virorum, nostrã quoq; fortunabis Poloniam, quâ in totius orbis ornamentum de tua stirpe processerunt. Adeòq; ut nobis, & tuo *SEREN. NEOSPONSO* eadem solatia gignas, & cœlum, & te omnibus votis obligamus: Epi[scopi] octo.

Et cœptis nè desit fascibus heres;
Decurrat trabeata domus, tradatq; secures
Mutua posteritas, servatoq; ordine fati,

 Re-

Regia continuo numeretur Consule proles. Claud.
Vtramq; felicitatem maternam imitare, tam in pariendo, quàm in parando prolem tuam ad coronas, Satîs tibi, illustre exemplum ut æquè hâc fortunâ atq; omni meliori vestigio in benedictiones divinas procedas, satîs erit mater tua

SERENISSIMA
ELISABETHA AMELIA
Palatina Rheni.

ex qua omnium Dearum formare simulacra possis. Imo senior jam facta Iuno, *non erat ita venerabilis:* Diana *multâ venatione, & annis fessa, cæperat jam divino vultu flaccescere; tuus Palatinus aspectus* Serenissima Domina *nulla deteri ætate visus.*

- - - Te, vultusq; pudorq;
Mortali de stirpe negant. - - Stat.

Sæculum suam te posset nominare Pandoram *sed non alienis vestitam plumis, quia contributio dotum tuarum tua est hereditas, tuæ supellex pretiosa naturæ. Comes illi tui mores, comites bonitatisperpetui, omnisactio cum verbis melle prorsus dilutis, sapor socialis vitæ cum* Serenissimo viro; *illa concors affe-*
ctuum

ctuum symphonia, cordis conjugalis melos, orbis universi traxit in se admirationem. Si nulla adhuc mulier suffragium vita sua dedit illi Salomonis veritati, dicentis:* Vxor bona viri corona. Tu prima es, quæ ut verè omni solatio virum tuum coronâsses, tot ei coronas, quot ad coronas genuisti filias. Complementum autem est tuorum gaudiorum HEDVIGIS tua, imo jam & nostra, quam hoc fato edidisse videris, ut Poloniæ dares. Itum est nempe per commutationem:* Seren. enim piæ memoriæ Maritus tuus acceperat primo voto nostram Poloniæ principem Annã Catharinam;* obligatus ad reddendam HEDVIGEM. Vtinam feralis dies illam non advexisset tenebram Seren. Electori PHILIPPO GVILIELMO sanctæ memoriæ parenti Seren. Nèosponsæ. quâ claudi solent in æternam lumina noctem!* vidisset certè coronidem suorum gaudiorum, in HEDVIGE sponsa, quæ Poloniam quoq; suo Palatinatui fecit consanguineam. Verum tui hæc potissima cordis portio est, Serenissima Domina, quæ eo ipso maximâ voluptate animi mulceri debes, quod ita, bonam filiabus tuis educationem dederis, ut eas docueris fieri &

Verè c… na viro

Seren. Nèosp… defun… paren… üs h… Pol… Princ… deinde… pers… Land… am …

esse Reginas. Hic jam Imperatrices Aquilæ simplicem de manu pennam excutiunt; volare, nō serpere stylum per chartas jubent; ut se humo ingenium tollat, grandi alarum volatu provocant, dum ab Imperatorio libratæ in altum throno, ex Austriaco in Lechicum transvolantes cœlo, super vestrum *SERENISSIMI NEOSPONSI* consederunt thalamum. Supra humanam nascendi sortem pleræq; Thebarum familiæ se erectas credebant, si fortè etiam de infima Deorum classe, affinitatem illarum quispiam Faunus inivisset; o! quanta hæc vestri Hymenæi gloria *SERENISSIMI NEOSPONSI,* dum

AVGVSTISSIMVS
LEOPOLDVS I.
&
AVGVSTISSIMA
ELEONORA TERESIA
Romanorum Imperatores

orbis primicerij, regum principes, regnorum principia, *Serenissimis* honoribus *Augustissimos* apponunt titulos. Hactenus

AV-

AUGUSTISSIME IMPERATOR ceu veſtigijs regalium virtutum inſiſtens, diſcurrebat per varia nomina Mercurius, at poſtquàm in Leoninum tuum incidit, hæſit ad grandiores paſſus; quos etiam talarijs ſuis adjutus, non ſine culpa tranſvolaret. Futile enim eſt tua per tranſcurſum celebrare facinora: omnia ex ordine obire, eſt velle ad Gades quotidie ambulare. At ubi nomen tuum, ſuum eſt encomium, non opus eſt ut ſit nimiùm ſolicita in verbo eloquentia, & Latinam majeſtatem ubiq́; ſervet, quando tua imperialis, thronum ſibi in qualibet dictione ponit. Non opus hîc veritati apud rhetores, eorumq́; figuras commodare verba, quando Imperatoria tua vita, eſt quædam elegans oratio; quæ te glorioſis actionibus prædicat. Si velles eſſe auditor illius *Octaviane* & caput ex funebri ceſpite attolleres, nec ſimpliciter *Auguſtus* jam dici velles, ubi *Auguſtiſſimum Leopoldum* in ſuperlatione & vitæ & nominis adverteres. Non magnũ eſt, quòd tu quinquagenariam pacẽ uſq; ad ſenectutem deduxiſti, & in otio rela-

xatum imperium, ſoliſq; dijs imbellibus devotum proſcripto Marte effeminâſti. Actæ quidem tibi ſunt gratiæ, quòd tẽplum Iani occluſeris, ſed mulierum erãt panegyres iſtæ & gratitudo, viri ſimul cum armis exuerunt robur. Etenim *ſicut ferri, rubigine pacis, ſic & animi habetatur acies, ſi non acuatur adverſis*. Voluptuoſa Capua emollivit Annibalem diu feriatũ, qui aliàs tam durus erat, ut Alpes ab eo diſſilirent. Iam verò ut definiamus *Auguſtiſſimi Leopoldi* vitam, fruſtra ex Philoſopho quæremus artem; cùm ex geſtis ejus promptius fundamentum habeatur, quòd ſit vita hominis iſtius militia ſuper terram. Satîs eſt victi Orientis ſpolia, detractaſq; ex gentibus manubias ſupra imperialem thronum appenſas intueri, & ſtatim ex pòëta etiam adijciemus epigraphen:

Cæſaris hæc virtus, & gloria Cæſaris hæc eſt.

Ad primas fortunæ minas invalida mens multis procubuit, & jacuit ægra: tu *INVICTISSIME IMPERATOR* ab exordijs ſtatim Monarchiæ tuæ in lucta fatorum. Duriſſima fortunæ athletica,

ca,

ca, initia ipſa dominationis concutere moliebatur, ſed ſi quaſſaviſſet orbem, tu firmiore ſtetiſſes veſtigio, hoc tantùm infelix quod perpetuò vincere cogaris. Quantus ille regnorum terror, igneus ſcintillantis Cometæ aſpectus! qui contra orbis purpuras exarſiſſe videbatur; quâ formidine non perculit ingentes etiam animos? Tu nihilominus triſtibus ejuſmodi phœnomenis non triſtis, nullã timoris aſtrologiam practicâſti, neq; propter monſtra àëris, de meteoris Ariſtotelem conſuluiſti; ſed contra terròres aſtrorum, illico tutamentum caſtrorũ poſueras. Ipſum nempe, quod mali figuræ ſignabant, proſpiciebas malum: illico etiã Antæum provoluturus, ſi in te Herculem prodijſſet. Et verò proſilijt ille magnus & viribus & dominatione Orientalis Gigas, qui etiam fabularum figmenta ſuperando, non jugera, ſed mundi partes mole ſua explicatus, occuparet; adeò ut quædam etiam membra ejus in Europa jacerent. Proripuit ſe adversùs *LEOPOLDVM* noſtrum adeò formidabilis Briareus, ſed in primo attritu

pectorum expiravit; collisæ ferme totius orbis vires cum tua fortitudine, relãguescere debuerunt, ceu validissimi venti, in scopulos Alpiũ impacti, quacunq; possunt viâ circa latera montium irritã rabiem mitiori testantur flatu & paulatim evanescunt. Aliàs ipse Iupiter primo accursu talem exercitum Gigantum fertur extimuisse, qualem tu exnunc fulminâsti. In illa confusione rebellis Phlægræ, dij cœlorum incolæ fugitivi omnes beatam suam patriam in direptionem furori reliquerant; sylvæ tantùm & specus fortalitia timoris quærebantur. Prudẽtia & fortitudo tua *IMPERATOR INVICTISSIME* custodes patriæ quas in excubijs limitum non meliùs quàm militiam posueras. ex quibusdam speculis pependerat orbis spectans agonẽ illum cum potentia barbarorum, magno tuo robore agitatum. Congressi enim fuistis de culmine rerum fortes duo Imperatores utrumlibet gradu titubâsse, proximum erat lapsui.

Majus ab hac acie, quàm quod fera sæcula ferrent
Vulnus erat populi, plus est quàm vita salusq;

quod

Quod perit, in totum mundi prosternimur ævũ.

Etenim si uno lapsu ceciderit fortuna regnorum, sæcula & eorum gloriam collisit. Maximus est grandium machinarũ fragor, si fortè ruant, minoribus levior casus. Dum in magnis imperijs grassatur aliquod fatum excitat quendã terræ motum, qui constat urbium eversione, populorumq; in ruinarum promiscuo funeribus. Et *plerumq; florentissimæ fortunæ acuunt contra seipsas hostem.* Tam felices, quàm infelices Romani, qui cùm magnam suã complecti non possent fortunam; frequentiùs ipsis negotium tenendi sui dedit. Iam totus orbis poterat vocari Roma, ita se ubiq; illa potentia radicârat: & ecce à tanto capite omnia avulsa membra, resecta regna, ut neq; in ruderibus suis antiqua Roma agnosci possit. Viennæ quoq; tuæ *AVGVSTISSIME IMPERATOR* nocet esse feracem, sicut fructiferæ arbori, cujus poma etiam ad avulsionem ramorum cupiditatem viatoris proritant. Talium fortunarum prædo tuam hanc Vrbem aggressus Turca; sed latroni regnorum meri-

ritas irrogâſti pœnas. Nihil eſt quòd velleris cuſtodem anguem Iaſon, in ſomnũ compoſuerit; hic eſt major titulus, ubi jam hiante ore draco Orientalis provincias abſorpturus ibat, cum ecce vix ſeminecem caudam retraxit domum. O! Cæſar; o! Iuli, libenter vidiſſemus ſi ſciviſſes ex his enatare periculis, ubi per ſudorem & ſanguinẽ luctandum erat, quod *LEOPOLDVS* noſter ita egit, ut nemo. Et inde eſt mirabilius aliquod Numen tuum *AVGVSTISSIME IMPERATOR*, quòd ſedendo vincas, jubendo eneces, in auguſtali tuo recluſus, ubiq; perſequaris hoſtem. Et ſatîs eſt illum exanimare, non verò trucidare; non opus eſt ut ex clypeo & enſe, ſed ex nomine formidinẽ in hoſtes ſpargas. Temere audax erat Alexander, quòd ſupra muros obſeſſarum urbium ipſemet ſaltaret, ut periclitaretur. *Non manibus ducum, ſed ipsâ prudentiâ victoriæ patrantur.* Tuus omnis exercitus, eſt manus tua, nõ percuteret, ſi à tuo brachio non penderet. Ita tu ſicut & ſol, qui nihil agit, niſi terram aſpicit, & tamen vel ſolo ſereno

vul-

vultu mundum reparâſſe, aſpexiſſe fuit. Efferri tantis victorijs, & non elatum eſſe, ſuper æthera exaltàſſe nomen, & animum in humili tenere, tua eſt unius modeſtia. O! quanta jactantia Romanorũ erat, partitim vellicare Provincias, & paulatim quaſi in unum corpus dominij glutinare. Si illis Rhenum traijcere cõtra Germaniam ſucceſſerat, illico captivum & miſerabilem in catenis fabricabant fluvium, fractis arundinibus effícti crines malè jacebãt inturbato capite, & ipſe ſauciato ore, miſtum cum aqua ejectabat ſanguinem; quem fictiles cupro ducebant heròés, & quaſi rurſus in facie vulgi Romani vincebant; ſicq; ſuperbia victoriæ uſq; in Capitolium ſuam ducebat ſcenam. O! quanta dabantur improperia victis; o! quanto faſtu victoribus plaudebatur. Gallorum ſanguine, Germanorum mortibus celebrari, honor; & gloria inſultando dixiſſe:

Te rebellatrix tandem Germania magni,
Triſte caput pedibus ſuppoſuiſſe ducis. Ovid.

Tuam *AVGVSTISSIME IMPERATOR* moderationem fortunæ

ipsi diligunt barbari, qui per colla eorũ posses jam in cœlum exire, & tamen licet exires, non calcando procederes, quia cum nomine etiam naturam leonis habes contentus prostravisse. Corruit primo tuo ictu orientalis Gigas, quem tu in montibus Hungariæ tumulâsti ceu Iupiter quondam in Ætna suum æmulum sepelivit Enceladum; & ecce quemadmodum ille (*sicut Poëtæ credunt*) dum infra Ætnam jacens se ex uno latere in aliud vertit, terræ motus facit, sic tuus etiam corrigere volens casum quo malè jacuit terrarum tumultum iterum novum facit. Non audaciæ nihilominùs ista sunt signa, sed miseriæ, pereundo audere. Sic Turca belli tui tempestate involutus cũ prioribus naufragatur fortunis, sicut nauta in portu adhuc, alicujus capellæ propitio astro deceptus, felices explicuit telas, & vix littus deseruit, subitus cœlorum fragor omnem à fundo emovit aquam: tunc vellet reverti, sed ventus in altum rapit, tunc arte relictâ, undas & fata sequitur. Sed eja Aurora! expecta funestam noctem; Lunam in ortu solis

do-

dominari quidem, ſed non ſine ſtupore videmus. Verùm

Ecce parat Cæſar (domito quod deſuit orbi)
Addere, nunc Oriens ultime noſter eris. Ovid.

At commemorari hîc duntaxat, non vero laudari potes *AVGVSTISSIME IMPERATOR*; campû gloriæ tuæ non iſtis paginarum terminis metatus es. Quàm procul Imperatoria tua Aquila victorioſo volatu explicavit alas, eò ſe & ingenium deberet extendere, nihilominus Salomonis etiam deficeret captus vias Aquilæ tuæ adnotare. Illud ſolùm beatitudinis ſuæ prælibâſſe ſatîs eſto calamo, quod cum feſtivo *SERENISSIMÆ NEOSPONSÆ* Hymenæo tu *INVICTISSIME IMPERATOR*, & ſoror ejus *AVGVSTISSIMA* feciſtis Poloniæ noſtræ accedere.

Sed neq; Tibi AVGVSTISSIMA IMPERATRIX ſciunt Muſæ ſertum contexere, licet poſſint quaſdam immortales herbas acquirere, & florem rhetoricum pulcherrimo virtutum tuarum florilegio interſerere; quia vertex tuus gemmis & rubro mari ſolitus radiare, marcidas & ex umbris quæſitas Aug ma ratri psâ g

literraijs dedignaretur elegantias. Te ipsâ felix es; nullū est ita dives ingenium, quod te de* impe- quia n in nos sub- um. *suo dotare possit, postquàm non solum humanarum facta es dispensatrix fortunarum, sed mentibus etiam dominari cæpisti. Grande hoc dominium, imperatricem esse animorum:** esse sine viribus, & posse omnia, maxima potestas est, nam ipsa potestas subinde est absq; potentia, dum nihil potest, nisi vires adhibeat. *Tyrannis etiam hæc felicitas contigit, quod ipsis obtemperaretur.* Metu jubente, etiam in nolentibus prõptitudo; sed amoris imperio possidere terras, hic est civilissimus gubernãdi modus. *Flammis quoq; & alijs lictorum plagis obediens est, narratq; licet cordialia, quem supplicia examinant;* sed bonitati suæ confessos habere animos, hic tuus est* Augustissima Domina *regnandi titulus. Flammeum Deæ illius Trojanis offensæ imperium expulit Æneam domo, imo tota exnunc Troja,*

Sævæ Iunonis ob iras *Virg.*

bene- uget. *fugit ex Asia, postquàm ignes miseris in mandatis dedit. Tibi projectos erigere, firmare desolatos, spe suâ delapsos in meliorem asserere fortunam, jucundissimum negotium, & divi-*

nus

nus labor. Deorum *quippe* & Principum una debet esse solicitudo, prodesse populis. *Largiores dij nunquam humanis censibus voluerunt ditescere, nunquam edictis tenuerunt sub tributo gentes; solo munere contenti quod ex spontaneis daretur sacrificijs.* Ipsa gratitudo populi, sacrificiũ est principibus debitum; *aliàs* negotiatio quædam gratiarũ erit, pretio illas æstimare. Non dedit, sed commodavit beneficiũ, volens restitutum. *Odimus ejusmodi in imperio* Commodum, *qui suis tantum, & nihil populorum commodo studeat, & gratias quasi commodato largiatur, ut cum usura recipiat. Tu ipsis nominibus tuis* Augustissima Domina *quam bona Imperatrix futura eras, præsagiebas, dum ex singulis eorum significationes in virtutum expressione elicis.* Leoninum *quidpiam nomen* Eleonoræ *spirare videtur, ut robur illud animi, quod in Dearum femineo pectore vix unquam observatum est, designaret. Nec immerito, in* Neoburgico *enim* stemmate *unum nacta* Leonem, *alterum in Augusto* Leopoldi *ethymo non procul nec in ultimis finibus, fortis mulier debebis quæri. Ex corde* Teresiæ *tuæ sagittas promis, quia*

In ip[...] mini[...] energ[...] virtu[...] sonat[...]

cœlum pro meta illis aſſignâſti. Affectus tuus, pharetra eſt, in qua hæc pia jacula, contra piacula ſervas: Ita armatam non ſemel viſum eſt te adire templa;* ubi quando* Auguſtiſſimus Maritus *tuus militaribus haſtis per campos agitabat hoſtes, tu quoq; ſagittis precum victoriam adjuvabas. Pietatem quoq;* Magdalenæ *exprimis, dum* Chriſti *veſtigijs hæres, nè viam, difficilem ad cœlum, perdas. Vngis inſuper cum eadem* Chriſtum, *ſed jam non in pedibus;* verum in manibus pauperum. Omnem tamen omnium heroidum habendo gloriam* (credo quòd injuriam in verbo amabis) *nihil videreris ſaltim tibi ipſi habere, ſi non illa tuæ felicitatis collectio, & plenitudo honoris*

…io, Re- …mano- omnē felici- …enuit.

SERENISSIMVS

IOSEPHVS I.

Romanorū, & Hungariæ Rex.

ſi non ille (*inquam*) omnes tibi *Auguſtiſſima Domina* in ſe compendiaret, ampliando fortunas. Quòd *Auguſtiſſimo Leopoldo* tuo conjugalis felicitas donaverit te, tutiùs gloriari poſſes, quàm olim uxor Herculis ſeſe jactaverit: (*uxor.* Ovid.
Et bene nupta feror, quia nominor Herculis

Sed

Sed ex tanto Patre, tantum ſuſcepiſſe filium quæ rhetorica ſufficientem lætitiæ figuram ad glorioſas exclamationes dabit? Laureati nimirum *REX SERENISSIME* genuerunt te parentes, prolem ipſo naſcendi fato coronatam, ſimulq́; a comparatis cum vulgo exemerunt. Eædem ſcilicet leges ſunt principum originis, quæ erant filijs Deorum, ſtatim auctorari ad ſumma. De prole tali divinantibus oraculis, & conjecturis vatum, nihil opus eſt, in quos eventus Rerumpublicarum nata ſit: ipſi de ſe, hoc ipſo, ſatîs bene ſunt divinati, quia divis nati parentibus. *Et ſtatim, & ſemper in excelſo magnus animus, humi reptilia ingenia.* Implumes adhuc aquilæ, jam tamẽ plenâ palpebrâ jaculantem in oculos radium ſolis accipiunt, quem olim de contiguo familiariùs aſpecturæ ſunt: bubonibus nox ſemper amica. At magnis inſuper mentibus

Prima ætas futuras præſ felicitat

Ingenium cœleſte ſuis velocius annis. Claud.

Ad iſtos tu duntaxat Salomones ipſamet ſapientia venis, & infantibus adhuc, licet dormientibus te ipſam & magiſtram

& regulam tradis, quod nobis nec vigilantibus accidit. Beatitudo Romanorũ ſtatim igneis pueri Aſcanij radijs deſignata fuit; quòd per ſuas apotheoſes nepotes ejus Romuli, inter ſidera relati fulgere debuiſſent. Romanæ felicitatis tẽpora jam tum in capitis illius tẽporibus coronabantur. Spes tamen humanæ ſtupebant portentis hujuſmodi nec ſciebãt quid vellet de eis cœlum concludere: Tua natiuitas *REX SERENISSIME* abſq; miraculo prodigium; oraculũ te naſci fuit, & tecum meliores fortunas, quando ipſa cunabula tua

Imperij fulſere notis, & præſcia tellus
Aurea converſo promiſit ſæcula fœtu. Claud.

Et vita principum ſuo ſtatim amæna ortu & Aurora matutinas induta purpuras; hæc diei ativi-
us for *illa dierum, jucundum ſuo populo promittit*
ilis
us e- *curſum.* Si ad infantiles adhuc cunas tu-
bilis
s. as referamus oculum; o! quantæ in illis ſpei publicæ agitabantur expectationes; quàm graviter ipſo earum motu concuſſus Oriens! Faſcia puerilis jam te Achillem in baltheo deſignabat, quo olim raptares æmulos Hectores. Quàm torua il-

la

la voluptas Martialis oculi! quàm amabiliter timendæ, frontis tunc etiam terrentis, minæ! in qua jam per omnes ejus lineas, stationem suã Mars disponebat. Sed permiscuit suam natura in moribus tuis dulcedinem; duas tibi dexteras dedit, unam ad plectendos hostes, alterã ad amplectendos amicos. Spartanos Deunculos Castorem & Pollucem nescio ex quâ fortitudine roboreq; extollit antiquitas, qui ex patre cygno geniti, & fragili oloris exclusi ovo, non videntur ad viros nedum ad Deos accessisse; ubi te *REX SERENISSIME* feliciori longè partu quam istas Poëtarum Chymæras editum esse videmus, & tamen ita mollibus rudimentis deditum non videmus. *Gemmarum nempe similes sunt mentes fortium quæ inter fulgura coalescunt, & ipsâ tempestate solidantur;* silex ac omnis absq; pretio lapis, semper quietus in fũdo jacet. Tibi *Augustissimi* parentis tui exemplar, trophæaq; somnum eximunt: discipulum imò & æmulum tanti Patris necesse habes agere, ubi ille, sicut quondam *Marcellus* suum *Crispinum* auctorita-

Educat heroica.

Adin onem terna actio

tem ſuarum actionũ ponit pro exemplo.

Huc decus, huc noſtrũ lateri te junge paterno,
Et me diſce novum Martem tentare magiſtro

Profectò Martiales iſtæ tentationes tuæ, credo quia ſcrupulos deſperationesq́; in conſcientia hoſtium tuorum *REX SERENISSIME* quondam efficient, ſi auſi fuerint in tuam bonitatẽ peccare, quando pænitentiam uſq́; ad ſanguinem egiſſe debebunt. Bene priùs conſulite fata haruſpices, antequam in hunc Imperatorem olim permittatis bella: timete gentes elevare gladium, nè manu iſtâ concidatis. At ipſa te amaret barbaria, ſi digna eſſet, facillimam bonitatem tuam experiri. Præter eas enim animi tui dotes, quibus omnium irretiviſti corda, etiam compactiſſimum corpus, & jam paulatim in viriles grandeſcens artus, habitudine ſuâ diſtinet humanam admirationem. Vbertas verò ingenij ditiſſimâ ſcaturiens venâ, ita ſvaviter ſenſus circumfluit, ut ſive ſub oculos, ſive ſub aurem verba tua cadant, natet in voluptate animus. Omnes doctæ facultates mentem hanc imbuerunt;

quid

quidquid Romani floris ex Latinitate collegerunt Muſæ, totum in faſciculos alligârunt, & compendiatim tibi porrexerunt. Ioci illi tui non offensâ majeſtate hilares, quales ſub Catonum ſupercilio vix naſcerentur. *Injocis vitas.* Leones quondam in ſylvis ſimul cum Hercule venaturus, nũc familiari adhuc venatione uteris, dum lepores verborum agitas. Plurimus quippe in natura Iupiter, tardos neſcit motus, ſed agile ingenium flectit in omnẽ partem. En ecce Alexander habes æmulum: voluiſti niſi cum regibus ſtadium decurrere? ingredere nunc quæcũq; voles Olympia, ſed credo non tuam fore palmam. At neq; Achilles tecum de meta vellet arcum tendere; nec iſte curſor Macedo in catadromum evocare, quia tua eſſet utrobiq; palma. Hinc ille guſtus ſubditorum, qui ceu in favis, ita in *Inde mor pulis, nerati* moribus tuis delicianter: & ſicut tenello adhuc regi ſuo colonia apum, totumq; illius alvearis regnum venerationem & miniſteria præſtat ita tuam in te ſvavitatem amant & venerantur populi. Inde novus terror in hoſtes, qui jam filij peri-

muntur nomine, necdum, à paterna manu inflictis cicatricibus, sanati. *Heroum scilicet & Leonum filij, paribus incrementis virium adolescunt.* Tamdiu leonum catuli ab ubere materno pendent, paternâq; venatione vivunt, quamdiu ungues in pede bene acuminatos, jubas in collo succrescentes non senserint, tandem ubi hortari generositas cæperit ad grandia, & isti tauros; & illi hostes suis viribus & armis incipiunt prosternere. Formidabilis ille Leo, ille (inquam) *Augustissimus Leopoldus* tuus, in pastum tuæ gloriæ feras Orientis belluas, o! quanto, trucidavit numero. Sed tu ipse etiam,

Tu tua servatæ carpes libamina famæ;
Implebis meritis solis utramq; domum.

Fortunam, quam rudiores mundi reginã putant, non patieris collegam imperij, & nè suum casum tuis actis immisceat, proprio Numine triumphabis. Quare super magnitudinem tuam ploravisti Alexander, quòd te capere non potuerit Macedonia? egisses potiùs sic, quemadmodum aget *IOSEPHVS* noster: hostium lachry-

chrymæ magnitudinem ejus teſtabũtur, quando Oriens totus, & Macedonia capietur ab eo, quem ipſa capere non poterit. *Comica enim eſt præſes regnorum fortuna, poſtquàm alicubi ſatis luſit, alio ſcenam portat.* Sic Roma Trojæ filia, ex Iliaco pulvere, Phœnix urbium, nata, quia omnibus dominata. Prodigioſa erat illa coagulatio mundi totius in unius dominij magnitudinem: magnum & mirabile corpus quod regnis & provincijs componebatur: Latinum caput Romam mundus habebat, vel ſatiùs portabat, quàmvis ipſe non Latinus eſſet, ut monſtro proxima fuerit illa potentia; donec tandem fata alia caput avulſerunt corpori. Vide *REX SERENISSIME* cornutum orientalis Imperij Lunâ Ottomanâ caput, vide quanta cervix tua manu reſecanda eſt. Expectat Danubius, ut ſit tibi utràq; ripâ famulus. O! cœli, date diligentem aliquam cuſtodem ſtellam, quæ perpetuo bonoq; aſpectu *IOSEPHI* noſtri vitam corroboret. Infeſti principibus, faceſſite Cometæ! nunquã ſol ille veniat, qui ipſi occaſurus eſſet.

Viv vitâ mag olim tum

Verùm enim verò *immortales ſunt bonorum filiorum patres;* *quinimo etiamſi moriantur, poſt mortem in nepotibus ſuis reviviſcunt.* Sic tu *Auguſtiſſime Imperator* vives in *IOSEPHO*, & ille viciſſim in ſuis

- - - dabit ille nepotes
Æternam terris ſobolem, quæ limite felix
Inſurgat patrio, ſeniumq; his exuat aſtris.

larum um pro r & onus.

Non Imperatorum autem ſolùm, ſed etiam *Pater pauperum* deſtinaris eſſe; nullo dedecore tuo dicendus *Pater* Principum & egenorum, inter quos & *Chriſtum* haberes. Vtinam verò noſtra paupercula Religio *Scholarum Piarum* hac invidẽdâ relatione filiationis ad tantum patrẽ, gloriari poſſet! Vtinam dici velles *Pater noſter* in terris tuis, quemadmodum hîc in Polonia dictus *Vladislaus ille IV.* regũ & bellatorum Phœnix, ut Hungarica Provincia triumphali tuo protecta nomine exurgeret. At *Ioſephi* etiam eſt, pias ejuſmodi adoptationes facere, & *Matrem Dei* tueri, ſub cujus titulo noſtrã Religionem *Matris Dei* invenies. Ipſum inſuper nomen noſtri Fundatoris *Ioſephi*

Ca-

Calasantij tuum vult esse, eoq; ampliùs, quòd jam sit. Sed quònam deflectis calame? ad supplicem & infimum orandi characterem? in regũ manibus es, quorsum pauperes inter Dynastas misces? Ecce *Serenissimum Hymenæum* Hispana quoq; Numina frequentant;

SERENISSIMVS
CAROLVS II.
&
SERENISSIMA
ANNA MARIA
Hispaniarum Reges,

tu *longè sequere, & vestigia pronus adora,* postquàm Hesperũ in Septemtrione vides. Disce curiosus esse, & mone Mathesim, non bene eam videre, si unum duntaxat hoc narrat esse astrum, ubi tu ab Hesperia, duo sidera cœli illius, *SERENISSIMVM CAROLVM. & SERENISSIMAM ANNAM MARIAM,* usq; in Poloniam fulgores suos vides porrigere. Dilatavit nimirum fines fortuna tuos *REX SERENISSIME* quia sciebat quòd tantæ

vaſtitatem monarchiæ tanto poſſet implere Domino.

- - *quà patet Imperij*
circus, tuorum linea ducitur,
conſtans triumphorum, ultimoq́;
materies numeroſa laudum,
narraris orbi - - *Avancin.*

Vt verò latiùs pateret poteſtas tua, Poloniam quoq́; habes colligatam. Et certè inter omnia ampliſſima regna, quæ tenes, iſtud erit quod tuæ accedet gloriæ: cætera enim hoſtili cruore acquiſita, iſtud eſt Sereniſſimo ſanguine fœderatū. *In cordibus & animo ſuorum habere partem, plùs eſt, quàm eſſe mundi hæredem. Firmius amoris imperium quàm fortunarum.* Nullā viciniam, nullum habet limitem amicitia; ſimul cum gloria menſurari non poſſunt ſpatijs. Iam vos *Sereniſſimi* Hiſpaniarum *Reges* ſinu ſuo veſtra maria complecti non poſſunt, niſi etiam ſanguine ipſo emanetis in Poloniam. Iaſon haberet quod tibi invideret *Sereniſſime Neoſponſe* ubi nec in Colchidem navigare habuiſti opus, nec vigilias draconis fallere, & tamen ultrò ipſa tibi aurea proveni-

niunt vellera. Quidquid autem inde accessionis habes, totum Serenissimæ *Annæ Mariæ* esto. Sanè nobiliores Hispania nõ invenit uniones, quàm hæc *Neoburgi* gẽma. Et quia tui *Serenissima Domina* sufficiens habet Hispania pretium; inter census necdum habitos reponit æstimationem bonitatis tuæ, etiã Catholicissimo Principi inæstimabilis thesaurus æstimaris. *Fortunæ enim suæ nupsit, qui optimæ conjugi.* Ditavisti te ipsâ regnũ hoc, sed necdum felix est, donec ei de thesauris tui sanguinis, prolem verè pretiosam dones. Ex fæcũdo Iovis auro Perseos generari, non invidebit Hispania, postquàm tu aureos ex tuo sanguine produxeris nepotes. Sed jam uno agmine inferunt paginæ huic majestatem suam Serenissimo sororioq; sanguine invicem adunati, magnæ columina gentis.

SERENISSIMVS
PETRVS II.
&
SERENISSIMA
MARIA SOPHIA
Reges Lusitaniæ.

Vide Polonia, quot basibus gloriam tuã fulcis! ubi pro fundamentis tuæ amplioris fortunæ regum nomina cum sanguine *Neoburgico* accipis. *Fulcrum est suæ quisq́; patriæ princeps, ruituræ, si brachium subtrahat, & in dubio fatorum pendere sinat.* Tuũ *SERENISSIME REX* non fragile nomen, ipsum est regni tui robur; imò verò quicunq; vel sanguine, vel fortunâ tibi in nititur, firmiùs stetisse non poterat. Tu enim ipse tam validis subnixus propinquitatibus vicissim es

Columna Regum, gloria Cæsarum,
Corona stirpis, nobile gloriæ
Firmamen, & Martis propago,
Et fidei, patriæq́; fulcrum. Avanc.

Fortuna apud te civem subditamq́; se esse fatetur, quia si fallere tentaret exnũc Turris gentilitia carcerãdæ ejus insolentiæ:

tiæ: &ſic mavult municipem in Domo tua obſequens, quàm mancipem in Turri agere. Throno hoc & thoro felix es *Maria Sophia*, ſed neq; tu minùs *Neoburgicis* ſplendoribus amænus *Rex Sereniſſime*. Pulchrius tamen eſt illud regnũ veſtrum, quo in animis regnatis. *Beatiſſima hæc eſt regnandi norma, cor in ſolium commutare. Donârunt enim ſibi vitam boni conjuges, non mutuo acceperunt, ut repeterent, tanquam ſuum quod jam eſt alieni juris*. Mutare invicem animas, hæc eſt lex altera diligendi. Vos *Sereniſſimi Conſortes* & majeſtatis & animæ vobis dimidũ eſtis, ut in cœlo frequentiùs ſuo Iovi indignatam fuiſſe conſtet Iunonem, cum hîc nec minima nubes triſttiæ frontem obduxerit. Inter enim ſerenitates Regum, ejuſmodi nubila ſi conſurgant, dies vitæ tetricos adducunt.

Pronuba Tiſiphone thalamis ululavit in iſtis.
Et cecinit mæſtum, devia carmen avis. Ovid.

Felicitatem Neoburgicæ Domùs ſine admiratione nemo reſpexerit, in qua nullos eſſe geueros niſi Auguſtiſſimos Sereniſſimoſq; oportuit, in quorum corona fulget etiam

SERENISSIMVS

ODOARDVS FARNESIVS

&

SERENISSIMA

DOROTHEA

Principes Parmenſes

uterq; ſuâ Poloniã decorando purpurâ & quidem *ODOARDVS Cardinalitijs* pileis, adeoq; Pontificiâ Petri, in *PAVLO III.* coronâ inſignis. Dorotheæ quoq; gentilis Palatinus murex, & nativæ, cœlituſq; plantatæ virtutum roſæ, coronam lætitiæ huic diei texunt. Et certè *nullo colore eſt vita hominis decentior, quam eo, ſi quem virtus induit.*

Frons & vultus tuus *Princeps Sereniſſima* theatrum eſt virtutis, in quo modeſtia gravis pudiciſſimas producit ſcenas, ubi totus ex amænitate habitus tuus, verecũdiſq; pictæ floribus erubuerunt genæ. Verbis tuis pondus animi eſt, nec quidquam ſuis implicuit dictis ſinceritas, animum per verba loqueris. Etenim *oratio eſt quidam inviſibilis vultus mentis reconditæ, & in ſpeculo frontium, extat imago animorũ.*

Pro-

Bonitas tua in aperto eſt, vultus tuus tabella virtutibus conſcripta, ex qua & cordis arcana dictas. Adeo innocens Nympha amænissimis moribus *Martem* illexiſti Parmenſem, ut etiam Hungaricis abſtineret triumphis, & tibi militaret. Sed neq; tu *Odoarde* diſplicere poteras Turcico reſperſus ſanguine, veriſſimam heroum indutus purpurã. Caſtrenſi arenâ nubeq; pulverulentâ veſtiebaris, ſudore ſparsã in vultu tuo terram excolente, ut plantari & radicari etiam potuiſſet non ſolùm poni laurus in tuo capite. Et tamen

arma inter feſtinatoſq; labores
dulcis adhuc viſu, niveo natat ignis in ore
purpureus fulvoq; nitet coma gratior auro.

Et hic eſt tuus *SERENISSIMA NEOSPONSA* Imperialis Regiuſq; comitatus, quo triumphaliter ſtipata in Poloniam venis. Iſti ſunt *Sereniſſime Neoſponſe* affines tui, quorum fortunæ in finibus terræ, latè protenſæ jacent. Ea eſt amoris veſtri prerogativa ut inter tot coronata capita ipſe etiam voluerit *Rex* cordium veſtrorum appellari. Circum-

flecte adhuc oculos *Sereniſſima HEDVIGIS*, & cinctam te coronâ fratrū tuorum conſidera: vide ut te manu ducant in thalamum, ex quo olim eorum deſideria corones: vide *o! decus, o! præſens magnorum gloria fratrum*, ut Palatino cultu, denſoq; tibi aſſiſtunt ordine.

SERENISSIMVS
IOANNES GVILIELMVS
Eelector Palatinus Rheni

SERENISSIMVS PRINCEPS
LVDOVICVS ANTONIVS
Magnus Magiſter Ordinis Teutonici.

SERENISSIMVS PRINCEPS
CAROLVS PHILIPPVS
Generalis Campi Magiſter & Colonellus Legionis equeſtris S. C. M.

SERENISSIMVS PRINCEPS
ALEXANDER SIGISMVN.
Epiſcopatûs Auguſtæ Vindelicorum Coadjutor

SERENISSIMVS PRINCEPS
FRANCISCVS LVDOVIC.

Epi-

Epiſcopus Vratiſlavienſis, & Supremus Sileſiæ Capitaneus.

SERENISSIMVS PRINCEPS

PHILIPPVS GVILIELMVS AVGVSTVS

præter illos duos inter aſtra relatos Caſtorem & Pollucem, qui etiam luce immortali donati *Helenæ* ſororis id eſt tuũ *Sereniſſima Hedvigis* hilares proſpectant Hymenæum. Ille inquam *Wolffgangus Guilielmus*, qui cùm *Vratiſlavienſem* mitrã in capite poſiturus iret, mors illi Neoſtadij in Auſtria obviavit, & radios cœlorum pro Infula Epiſcopali dedit.

Ille inſuper *Fridericus Guilielmus*, qui cùm fortiſſimè contra *Moguntiam* pugnaret, glorioſiſſimè pro illa occubuit. Cæteroquin *pretioſæ ſunt animæ principum, non quolibet periculo væneunt. At nulla videtur eſſe atra dies generoſo animo, cui fulget gloria in oculis*, ideo etiam funerea caligo ſerenitatem *Friderico* non videbatur poſſe tenebrare. Sed ad quid funera in thalamos ducuntur? quid ſepulchra aperientur, ubi luctibus hodiernus color non eſt conveniens? Verùm quia iſtos etiam

Nuptialis tuus dies *Serenissima Neosponsa* evocat communi plausu, ideo licet jam inter cæteros numerari non possint,

Sed tamen in laudes vivit uterq; tuas. Ovid.

Tu nihilominùs *Serenissime Elector Palatine* apex & gloria generis tui, tu primũ cum *Serenissima Sorore* tua decus in Poloniam venis. Sortes Imperatorum in manu tua positæ sunt: jubere eos esse, & creare, tua est potentia. Quod imperiũ, tuus calculus *Serenissimo Principi Iacobo*, non attribuet, si jam ei primum amoris regnum cum *Sorore* tua decrevisti?

Alteri tibi *Ludovice Antoni* ad examen datur fortuna Cæsarum, cùm pariter *Electorales Moguntiæ* fasces tuæ destinantur industriæ. Orbis Christiani urnam *Neoburgicis* manibus Deus cõcredidit, nè suas inveniat fortuna rimas, per quas aliquid, non ex mente cœlorum operetur. Magnum te in hoc scitur esse Magistrum, ut sub tua disciplina possis orbis totius fortunam habere.

Tu verò inter cæteros *Serenissime Carole* jam totaliter, quia duplici cognationis nexu obstrinxisti cor tuum Poloniæ.

In-

Incidit nempe in campos Polonicos *Neoburgicus Leo*, & ad gentilitias *Radzivilio rum Tubas* pulchra præda amoris, captus eſt; alterâ vice in gentilitiũ *Sereniſſimi Iacobi Campum*, *Ianinam* Sereniſſimũ delatus cum *Hedvige* Sorore tua incidit regalis fera, in regiæ conſanguinitatis vincula.

Pertines ad eadem Sereniſſimæ cognationis jura *Sereniſſ.* & *Reverendiſſime Alexander Sigiſmunde*. Vidimus in ſpecula poſitum Leonẽ, quem ſacra exhibet pagina, inconnivâ vigilantem palpebrâ: vera hæc tui *Leonis* effigies, qui in Epiſcopatu *Auguſtæ Vindelicorum* perpetuas agit excubias, & citra omne miraculum oves Chriſti paſcere novit.

In vicinia hactenus *Vratiſlavienſi Seren. Franciſce Ludovice* cum Polonis vixiſti, tandem in viſcera Poloniæ, in corda Polonorum venis cum tua *Sereniſſ. Hedvige*. Et quia tuæ bonitatis notitiam, omnibus exambire licet, etiam *Scholæ Piæ* necdũ tibi notæ, ingerunt tamen ſe obtutibus tuis. Plantatio hæc, vix illis regionibus viſa, nedum merita eſſet; ſi tamen gratioſa tibi videbitur, ſatis habebit, dum ei

non plus facies quàm hortulanus quibusdam arboribus, quibus nihil præter sitũ ac terræ paululum dat: & tamen fœnus suum habet, etiam à platano, cæterisq; inutilibus plantis, umbrâ saltim suâ, curam ejus gratantibus.

Admoves splendidissimos tuæ stirpis radios *Serenissimi Hymenæi* tædis *Serenissime Philippe Guilielme* unà cum tua lectissima conjuge *Saxenlavenburgica* Principe, grandis hæc vestra fœderatio omnes coronas in vestras Domos transcripsit; illa illa vos *terrarum Dominos, evehit ad Deos*. Vester verò amor *SERENISSIMI NEOSPONSI* jam *Rex cordium* vestrorum coronatus, ex regali thalamo reges certè gignet, *propiorq; fluet de sanguine juncto Iupiter* Nostrum hoc votum, publica populorum expectatio, ut

Domus hæc utroq; petat diademata sexu;
Reginas gignat, Reginarumq; maritos. Claud.


BIBLIOTH. UNIV. JAGELLONICAE



Biblioteka Jagiellońska
stdr0026547